This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

UC-NRLF
$B 14 133

LIBRARY
UNIVERSITY OF CALIFORNIA
LET THERE BE LIGHT
UNIVERSITY OF CALIFORNIA
ORGANIZED 1868
JANE K. SATHER
LIBRARY FUND.
Accession 76891
Class B74

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE PLAUTI CURCULIONE DISPUTATIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE PLAUTI CURCULIONE DISPUTATIO.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

H. B. GREVEN

JUR. UTR. DOCT., IN FACULTATE JURIDICA PROF.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

IN UNIVERSITATE LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

HARMANNUS BOSSCHER,

NATUS IN PAGO STADSKANAAL,

DIE XII M. MAI MDCCCCIII HORA III.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

LUGDUNI-BATAVORUM.

APUD E. J. BRILL.

MDCCCCIII.

Digitized by Google

SATHER

TYPIS E. J. BRILL.

Digitized by Google

PA6568
C8 B67
1903
MAIN

INDEX.

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

PRAEFATIO.

Inter Plauti fabulas tres hac re notabiles sunt, quod multo sunt breviores quam ceterae omnes: Curculio, Epidicus, Stichus (Cistellariae in recensione Palatina fere 600 versus periere). De quibus sponte se offert quaestio, utrum sic a Plauto scriptae sint an ab aliquo retractatore in brevius contractae an denique casu aliquo nonnulla exciderint. Equidem de Epidico Stichoqne hic non disputabo; agam tantummodo de Curculione. Quam fabulam multi viri docti, inter quos sunt Goetz, Ribbeck, Langen, Leo, putant consulto decurtatam esse. Atque ne recentioris tantum aetatis viros doctos nominem, iam multo ante illos versuum paucitatem miratus erat Gulielmus Canterus, qui Nov. Lect. lib. IV cap. 10 haec scribit: „atque existimo primum, Curculionem parasitum habitu nautico seu marino, quandoquidem e Caria per mare Epidaurum appulerat, ad Lyconem trapezitam venisse, ut patet ex verbis Choragi: *Ornamenta, quae locavi, metuo ut possim recipere:* ac pateret etiam magis, nisi, quod semper suspicatus sum, aliquot in hac comoedia scenae desiderarentur, actu tertio praesertim, qui unam duntaxat habet." Me quoque censere hoc actu

Digitized by Google

nonnulla periisse infra docere conabor, non tamen ita ut credam fabulam consulto decurtatam esse. Nam quod dicit Ribbeck [1]): „Mag der eine und der andre Vers durch Schuld eines Abschreibers weggelassen sein die eigentliche Verstümmelung verdanken wir der Grausamkeit irgend eines Regisseurs, der aus dem vollen Drama ein kurzes Nachspiel zurechtstutzte, wie er es für seinen Zweck grade bedurfte" iam hanc ob rem non probo, quod minime constat unquam apud Romanos hunc viguisse morem ut post longiores fabulas parvae additamenti loco spectandae exhiberentur. Quid quod huic consilio antiquioribus temporibus Atellanas adhibitas esse novimus, in quarum locum Ciceronis aetate successerunt mimi [2])? Sed mitto hoc argumentum, maioris enim momenti mihi videtur, quod ex ipsa fabula demonstrari potest — sic certe ego censeo — eos locos, qui viros doctos impulerunt, ut crederent fabulam consulto decurtatam esse, aut male esse intellectos aut infelici casu parum integros ad nos pervenisse. Quam ego sententiam dum probare conabor, simul alia nonnulla tractabo, quae vel vitium contraxisse vel nondum satis explorata esse arbitror.

---

1) Beiträge zur Kritik des Plautischen Curculio. Berichte über die Verhandlungen der königlich Sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften zu Leipzig; p. 80.

2) Videatur Becker-Marquardt, Handbuch der Römischen Alterthümer, IV p. 546 sq.

Digitized by Google

LIBRARY OF TH. ... ITY

CAPUT I.

De Curculionis Actu primo.

vs. 12 sq.

PAL. Nam quo te dicam ego ire? PHAED [1]. Si tu me roges,
Dicam ut scias. PAL. Si rogitem, quid respondeas?

Vs. 12 Phaedromi persona addita est in cod. B manu altera, item versu sequenti Palinuri, quam rationem omnibus, recentioris certe aetatis, editoribus probari maxime miror. Quid enim? Rogat Palinurus: „quo tu is?" Qui nunc Phaedromus rogantem verbis: „si roges" alloqui potest? Et quomodo deinde Palinurus dicere: „si rogitem"? Mihi quidem absurdissimum istud videtur. Sana exsistit sententia, si codicis B priorem manum sequentes omnia damus Palinuro, ut hoc dicat ille: „rogo te, quo tu censeas te ire, quae tua sit sententia de fine et exitu itineris; ego de hac re meam mihi habeo opinionem: si

1) Non iniuria Bothe offensus esse videtur nomine Phaedromi, quod nomen omnino sensu cassum est. Tamen vereor, ut quod ipse proposuit recipiendum sit. Voluit enim iuveni nomen dare Phaedimo. Quod licet Graecum sit nomen satis pervulgatum, tamen non aptum mihi videtur nostro iuveni. Quid si ei nomen tribuimus Φαιδρόνῳ (nominativus Φαιδρόνους)? Hoc nomen aptissime et omnino indolem iuvenis illustrare arbitror et prae ceteris pudicos eius adversus puellam mores.

Digitized by Google

tu me roges, dicam ut scias, scil in malam rem; sed nunc ego te rogo, ut dicas tuam sententiam. Suspicor autem, ut quae opponuntur melius appareant, scribendum esse: „si ego rogitem."

vs. 15 sqq.

PH. Huic proxumum illud ostium occlusissimum.
Salve, valuistin, ostium occlusissimum?
P. Caruitne febris te heri vel nudiustertius,
Et heri cenavistine?

Haec sunt verba tradita. Habet autem Festus Pauli p. 179, 8: „Oculissimum: carissimum. Plautus: oculissimum ostium amicae." Idem apud ipsum Festum exstitisse verisimile est ex iis, quae reliqua sunt: „mum ostium amicae". Haec quin nostrum locum spectent haud dubium mihi videtur. Idem censens Goetz [1]) propter illud *amicae* coniecit versum intercidisse incipientem ab *amicae*, atque sic fere locum restituendum esse:

PH. Huic proximum illud est oculissimum ostium
Amicae. P. Mihi videtur occlusissimum.
PH. Salve, valuistine usque, oculissimum ostium?

Neque enim solum versu 16 requirit *oculissimum*, sed etiam versu 15, atque vs. 16 praeeuntibus Pylade et Mureto inseruit *usque*, quod ego quoque vix desiderari posse arbitror: si valuit ostium, non iam valet [2]); rogandum est, usquene valuerit, atque ceteris locis *usque* revera additur, cf. Amph. 679 [3]), 715, Bacch. 248, Ep. 17 ('perpetue'), 129, Merc. 387, Most. 449, Pers. 23, Stich. 467.

---

1) Leipziger Studien I p. 250.
2) Cf. Pseud. 311: ilico vixit amator, ubi lenoni supplicat.
3) Cito semper editionem Leonianam.

Digitized by Google

Tantum Trin. 50 *usque* omittitur, sed rogatur hic: „valen? valuistin?" ut *usque* supervacaneum, ne dicam molestum, futurum esset; atque Stich. 586 „valuistin bene?" facile *usque* mente expleri potest propter illud *bene*, quod et priorem valetudinem et praesentem complectitur.

De vs. 16 ergo cum Goetzio omnino facio; ego quoque hic *oculissimum* requiri arbitror, et hoc recepto vocabula nimirum ita transponenda esse ut *ostium* fiat ultimum. Quod autem attinet ad vs. 15 atque ad versum insertum, alia mihi est sententia. Illud *amicae* non poëtae esse, sed grammatici recte vidit Leo, atque nego vs. 15 requiri *oculissimum*. *Occlusissimum* hic omnino aptum est, praesertim si Phaedromum illud dicentem fingimus cum aliquo gemitu, neque ullo modo illa vox magis convenit Palinuro quam Phaedromo, ut non statuendum sit cum Goetzio: „*oculissimum* passt nämlich vortrefflich im Munde des seinen Herrn verspottenden Sclaven." Optime conferri potest Men. 698, ubi Menaechmus exclusus et a muliere et ab amica ipse secum queritur: „nunc ego sum exclusissimus."

Astipulor, ut vidimus, Leonio asseveranti *amicae* grammatici esse; tamen non probare possum quae praeterea hic vir doctus statuit; scribit enim atque distribuit sic:

PH. Huic proxumum illud ostiumst oculissimum
Salve, valuistin? P. Ostium occlusissimum e. q. s. [1])

Nequaquam enim fieri posse mihi videtur, ut Phaedromus ostium alloquatur solis his verbis: „salve, valuistin?" Omnino opus est aliqua blanda compellatione; tum servus pergere potest non usus vocativo: „caruitne febris te heri

1) Eodem modo distribuit Schoell.

Digitized by Google

vel nudiustertius et heri cenavistine?" Cf. vs. 88 sqq. Dicit Ussing pro *vel* exspectari *et*, sed recte explicat Leo: „vel, si febris tua quartana est, nudiustertius." Sequens autem versus leni quadam emendatione egere mihi videtur: pro *cenavistine* conicio *cenavisti bene*, quod sensum postulare arbitror; solum *cenandi* verbum non sufficit, tum demum apparet bonam esse valetudinem si bene cenavit Totum ergo locum sic refingo:

PH. Huic proxumum illud ostium occlusissimum.
Salve, valuistin usque, oculissimum ostium?
P. Caruitne febris te heri vel nudiustertius
Et heri cenavisti bene? PH. Deridesne me?

vs. 20 sqq.

PH. Bellissimum hercle vidi et taciturnissimum:
Numquam ullum verbum muttit: cum aperitur, tacet:
Cum illa noctu clanculum ad me exit, tacet.

Vs. 22 „parallelum" esse Goetzio minime assentior. Phaedromus laudat ostium, quod semper taceat, quom aperiatur, addit autem, id quod eius maxime refert, ostium tacere, quom amica noctu clam exit. Quo additamento locus multo fit vividior amoeniorque. Cf. P. Langen, Plautinische Studien p. 33: „die Gelegenheit, bei welcher sich die Thüre öffnet, wird doch hier anschaulich dargestellt."

vs. 33 sqq. Servum sollicitum, ne cui liberae virgini insidietur herus, sic Phaedromus certiorem facit de consilio suo:

PH. Quin leno hic habitat. P. Nemo hinc prohibet
[nec vetat

Digitized by Google

Quin quod palam est venale, si argentum est, emas.
Nemo ire quemquam publica prohibet via;
Dum ne per fundum saeptum facias semitam,
Dum ted abstineas nupta, vidua, virgine,
Iuventute et pueris liberis, ama quid lubet.
PH. Lenonis hae sunt aedes. P. Male istis evenat.
PH. Qui? P. Quia scelestam servitutem serviunt.
PH. Obloquere. P. Fiat maxime. PH. Etiam taces?
P. Nempe obloqui me iusseras. PH. At nunc veto.
Sed ita uti occepi dicere: ei ancillulast.
P. Nempe huic lenoni qui hic habitat? PH. Recte
[tenes.

Dubitat Goetz de vs. 39—42, „cum perquam molesta sint post vs. 33 'quin leno hic habitat' versus 39 verba haec: 'lenonis hae sunt aedes'; cf. v. 44." Ribbeck vero[1]) non vs. 39—42, „die für den Verlauf des Gesprächs unentbehrlich sind, sondern vs. 33—38, in denen die breite schulmeisterliche Vorschrift des Palinurus über sichres und gefährliches Revier für Liebhaber nur das oben v. 28—32 bereits kurz erledigte Thema ausführt," posterioris temporis additamentem ducit. Omnia autem recte se habere mihi persuasum est: neque vs. 39—42 neque 33—38 condemnare equidem velim. Quod dicit Ribbeck „die breite schulmeisterliche Vorschrift," aptissimum est Palinuri ingenio, qui tota hac scena satis severum magistrum morum se fingit. Non mirum est, quod Phaedromus post hoc longum praeceptum iracunde atque impatienter repetit quod iam dixit: „lenonis hae sunt aedes", i. e. dixi iam tibi lenonen hic habitare; istis pruden-

1) l. l. p. 84.

tibus tuis praeceptis ergo mihi non opus est." [1]) Verba iracunde impatienterque pronuntianda esse apparet ex Palinuri brevi exsecratione: „male istis evenat". Quod contulit Goetz vs. 44, hic versus pro argumento esse mihi videtur ambos locos genuinos esse; saltem versus multo fit lepidior, si accipimus Phaedromum bis dixisse lenonem in illis aedibus habitare. Post Phaedromi verba: „sed ita uti occepi dicere: ei ancillulast" deridens Palinurus rogat: „nempe huic lenoni qui hic habitat?" quasi dicat: „satis nunc intellego, quem tu dicas, iam bis dixisti".

vs. 59 sqq.

PH. Immo ut illam censes? ut quaeque illi occasiost,
Subripere se ad me; ubi savium oppegit, fugit.
Id eo fit, quia hic leno aegrotus incubat
In Aesculapi fano: is me excruciat.

Sic Phaedromus respondet Palinuro, qui non credere potest puellam etiam nunc pudicam esse. Vs. 61 ad hiatum tollendum post *quia* Goetz legit *istic* pro *hic*; Leo supplet: *quia hic leno, <hic qui> aegrotus incubat*; Bothe transponit *leno hic.*

In Phaedromi autem responso nequaquam perspicuum mihi est, quo spectet illud „id eo fit." Quid dicitur puella facere, propterea quod leno incubat aegrotus in Aesculapi fano? Subripitne se hanc ob causam ad amatorem? Fugitne (nam ad hanc vocem, si tradita sana essent, illud „id eo fit" ut referremus, contextus, ut ego opinor,

1) Etiam Langen l. l. p. 34 duplicem Phaedromi asseverationem defendit: „da Palinurus mit seinen Warnungen fortfährt, ist es sehr natürlich, dass Phaedromus V. 39 nochmals versichert lenonis hae sunt aedes."

Digitized by Google

flagitaret) ideo, ubi savium oppegit? Neque hoc neque illud, opinor; Phaedromus enim Palinuro vult probare, quam pudica Planesium sit: „ubi savium oppegit, fugit". Quod si faceret metu lenonis, nimirum non argumento esset pudicitiae.

Si Leonium sequimur, alia exsistit causa: tum id fieri dicitur, quia leno Phaedromum excruciat. Manifestum est hoc etiam minus aptum esse quam illud quod textus traditus recepta Bothii transpositione exhibeat. Necesse mihi videtur lacuna statuatur; excidisse aliquam puto sententiam qua Palinurus rogavit aliquid, quo spectare possit pronomen *id;* ergo hoc fere hic requiro: „cur autem hanc non emis et cur sic clam ante lucem te ad eam surripis?" Hoc rogatus aptissime Phaedromus respondere potest: „id eo fit e. q. s." Omnino „id eo fit" initium esse puto alicuius responsi; cf. Amph. 756. Phaedromum enim qui nil aliud nisi pudicitiam puellae probare studet, talia non rogatum narrare absurdum videtur.

Ergo, si verum est quod disputavi, recipiendum est Leonii supplementum, ét quod in textu tradito verba „is me excruciat" languide cum praecedentibus iunguntur, ét quod verisimillimum est Phaedromum agere sicut agit propter lenonis pervicaciam; eam vero illius rei afferre causam, quod leno aegrotus incubat in Aesculapi fano, ineptissimum videtur.

vs. 192 sq. Phaedromus Palinuro maledicenti puellae irascitur:

Tun meam Venerem vituperes?
Quod quidem mihi polluctus virgis servos sermonem serat?

Vocabulo *quod* Leo appingit crucem, atque recte; nam

Digitized by Google

nullo modo explicari illud potest. Quod enim Brix ad Mil. 162 nostrum locum laudat, neque Militis locus neque ceteri loci ibi allati ad nostrum versum faciunt. Mente supplere vult vir doctus: „das sollte ich dulden?" Quod si probaremus, diceret Phaedromus se non passurum esse servum sibi sermonem serere, quod verum esse non posse elucet; Phaedromus non patitur servum talem sermonem adhibere, quali utitur. Eandem ob causam reiciendum est quod vult Schoell:

<PA.> Quod quidem — <PL.> Mihi polluctus virgis [servos sermonem serat?

<PH.> At e. q. s.

Omnino *sermonem* aliquod requirit epitheton.

Nimis audacia sunt quae coniecerunt Ussing et Goetz; ille scribit *talem* pro *quod quidem*, hic *quid? istum.* Verum iam dudum repertum est idque a Lambino, qui *quod* mutavit in *quem*. 'Quem quidem' ponitur pro 'et hunc quidem'. Cf. Epid. 121, Capt. 102, Bacch. 241. Non autem opus est cum Lambino versum dare Planesio.

vs. 200. Phaedromus ob maledicta, quibus petiit Planesium, verberibus in Palinurum animadvertit. Indignans hic exclamat et alia et hoc:

Hocine fieri, ut inmodestis hic te modereris moribus!

Sic versus traditus est; sed non solum metrum claudicat, verum etiam sententia non est integra. Alii aliud tentarunt. Seyffert [1]) dubitanter: „hocine fieri, ut inmodestis tuis modereris moribus?" Goetz scripsit: „potine fieri ut inmodestis tuis modereris moribus?" *Potine* recepit

1) Philologus 29 p. 387.

a Luchsio [1]), qui quod *fieri* apud *potine* omitti soleat vix esse putat quamobrem etiam *fieri* in suspicionem adducatur; ceterum facile esse delere *fieri* atque ante vel post *inmodestis* substituere *istis*, quod probabilitate ei se commendat. Merito autem Hasper [2]) monet *potine fieri* contra usum esse Plautinum, utpote cum semper adhibeatur *potine* sine *fieri*. Ussing delet *hic*, quod nullo modo ferri posse existimat, atque *ut te modereris* interpretatur *ut te geras*. Langen [3]) commonet Plautum numquam *moderari* coniungere cum accusativo, sed semper cum dativo notione „mässigen, zügeln, im Zaume halten." Affert Men. 443, Pers. 296 sq., Mil. 270, 1073, 1215, Bacch. 91, Curc. 195, 486, (Truc. 83). Ergo constare videri usum Plautinum tantum admittere *immodestis — modereris moribus*. Desiderat autem hic vir doctus necessariam negationem, quare pro *hic te* scribit *haut*. Non vero iniuria Brix [4]) eo offenditur, quod *ut haut* adhibeatur pro *ut ne*, cuius quidem rei exemplum desit. Immutat coniecturam Langenianam sic: „hocine fieri ut <ne> immodestis hic modereris moribus." Haspero l. l. infinitivus exclamativus non aptus videtur. Quidni? Dubitanter suspicatur ab initio exstitisse: „hocine *fiet* immodestis ut modereris moribus?" Ceterum 192—202 retractationis speciem praebere ei videntur. Quamobrem tandem?

Leo denique [5]) pro *modereris* Plautum scripsisse contendit *moderes*. Nota est res antiquam linguam Latinam

---

1) Hermes 8 p. 116.
2) Philologischer Anzeiger 13 p. 117 adn.
3) Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus p. 231.
4) Neue Jahrbücher 123 p. 57.
5) Hermes 18 p. 574.

Digitized by Google

multorum verborum, quae posteriore aetate deponentia erant, formam activam usurpasse. Tamen magnopere vereor, ne Leo nostro loco verum non viderit, non quod molesta mihi sit verbi moderandi forma activa, sed quia quid sit *se moderare immodestis moribus* prorsus me latet. Quod si dici ullo modo potest, significare nimirum debet *colere immodestos mores* (cf. Cas. 963); sed mihi quidem illud non Latinum videtur. Accedit quod etiam adverbium *hic* molestum mihi est. Si esset sanum, explicandum erat *in hac re*. Verum hoc ipsum a Palinuro, quippe qui ira inflammatus sit, omnino alienum est; nam si diceret: „hocine fieri te in hac re immodestos colere mores," concederet Phaedromum ceteris in rebus modestum esse; quod concedere minime est iracundi, nam homines irati in illis, quibus succensent, boni nihil agnoscere solent.

Proxime in versu emendando ad veritatem accessisse mihi videtur Brix; ego quoque *ut ne* necessarium censeo, scribo autem sic:

Hocine fieri ut inmodestis ne modereris moribus!

hic ortum puto ex ultima syllaba vocabuli praecedentis *immodestis* et *te* corruptum ex *ne*.

vs. 203 sqq.

PL. Bene vale, ocule mi, nam sonitum et crepitum [claustrorum audio,
Aedituum aperire fanum: quousque, quaeso, ad hunc [modum
Inter nos amore utemur semper surrepticio?

Haec verba non ab omni parte sana esse manifestum est. Nam quamquam optime separatim dici potest: „sonitum et crepitum claustrorum audio" atque „audio aedi-

Digitized by Google

tuum aperire fanum," non facile mihi persuadebitur utramque sententiam sive ἀσυνδέτως sive intercedente coniunctione sic connecti posse, ut ambae partes ab uno verbo pendeant. Lenissima coniectura, pro *sonitum et crepitum* scilicet legens *sonitu et crepitu* illaque sequentibus adiungens textum emendasse sibi visus est Bothe. Quamvis autem sic exsistat sententia, quae sincerae sit Latinitatis, tamen unumquemque sentire opinor homines, qui cotidianae vitae sermone utuntur, sic non loqui, recteque observat Ussing talem sermonem abhorrere a Plautina simplicitate. Aliam igitur viam ingrediendam esse viderunt viri docti. Fleckeisen verbum intercidisse ratus, a quo penderet acc. c. inf. „aedituum aperire fanum," proposuit: „aedituum fanum aperire arbitror: set," delens *quousque*. Seyffert [1]) „aedituum aperire reor fanum." Goetz in textum recepit quod coniecerat Gertz: „aedituom arbitror aperire fanum," qui item ut Fleckeisen delet *quousque*. At hoc aliena manu inseri potuisse non esse credibile recte observat Leo, quare id servandum esse censeo. Quamquam Seyfferti coniectura, licet per se non sit audax, cum veri simile sit post ultimam syllabam verbi *aperire* intercidisse *reor*, mihi non placet; nam et offendor dura illa scansione *áperiré reor* neque verbum „rendi" hic aptum habet locum: si crepitus claustrorum auditur, satis constat huius soni causam esse, quod ostium aperitur; dubitatio hic nulla admittitur. Praeterea aliquid excogitasse mihi videor, quod cum lenitate coniecturae se commendet tum pulchrius sit: scribo: „aedituumne aperire fanum," nota illa constructione accu-

---

1) Philologus 27 p. 443.

Digitized by Google

sativi cum infinitivo in exclamationibus, qui admirationem vel indignationem vel animi dolorem significat. Aegre fert puella atque lamentatur amplexandi osculandique iam finem esse faciendum. Tum pergit:

Quousque, quaeso, ad hunc modum
Inter nos amore utemur? semper surrepticio?

Signum interrogationis posui non solum post *surrepticio*, sed etiam post *utemur*. Quod feci perspicuitatis causa, non quod offendar adverbiis *quousque* et *semper* inter se iunctis. Quam abundantiam iniuria molestam visam esse docent loci, quales sunt Stich. 6 „sollicitae noctes et dies, soror, sumus semper," Truc. 421 sq. „usque... assiduo; Mil. 212 „semper totis horis;" 885 „multos saepe;" Poen. 228 „noctes diesque omni in aetate semper;" Pseud. 1044 „quid tu intus quaeso desedisti quam diu?", ad quem versum Leo affert Ter. Eun. 754 sq. et Heaut. 363; cf. etiam As. 887 et Ussing (apud hunc 878) ad hunc locum. Omnibus his locis contaminationem habemus duorum enunciatorum, quae omnino propria est sermonis cotidiani. Quae si fit in interrogatione, respondetur posteriori sententiae parti. Ergo Phaedromus recte respondere potest: „minime." Sic omnia recte se habent neque confugiendum est ad Acidalii, quem sequitur Geppert, coniecturam „minimo," quod salva Latinitate dici posse recte negat Ussing.

Ex iis quae disserui elucet me non astipulari Leonio, qui dubitanter suspicatur decurtatos esse versus tales:

Aeditumum aperire fanum <quom inlucescit arbitror.>
Quousque quaeso ad hunc modum <hic nos conveniemus clanculum?>

Digitized by Google

CAPUT II.

De Curculionis actu secundo.

vs. 236 sqq. Leno aegrotus Palinuro roganti quo laboret malo, sic respondet:

Lien enecat, renes dolent,
Pulmones distrahuntur, cruciatur iecur,
Radices cordis pereunt, hirae omnes dolent.
P. Tum te igitur morbus agitat hepatiarius.
C. Facile est miserum inridere. P. Quin tu aliquot dies
Perdura, dum intestina exputescunt tibi,
Nunc dum salsura sat bonast: si id feceris,
Venire poteris intestinis vilius.
C. Lien dierectust. P. Ambula, id lieni optumumst.
C. Aufer istaec, quaeso, atque hoc responde quod rogo.

Sat multa in his versibus insunt obscura. Primum quaeritur, quid hic sibi velit *morbus hepatiarius*. In Forcellini lexico sic explicatur: „*morbus hepatarius* est amatorius, nam hepar, seu iecur est sedes amoris, et omnium affectionum. Hinc libidinosi Tityi poena est intelligenda, de qua *Horat.* 3. *Od.* 4. 77 Incontinentis nec Tityi iecur Reliquit ales; *Id.* 1. *Ep.* 18. 72 Non ancilla tuum iecur ulceret ulla; *et* 1 *Od.* 25. 13 Cum tibi fla-

Digitized by Google

grans amor et libido, quae solet matres furiare equorum, Saeviat circa iecur ulcerosum." Tametsi igitur ex his locis satis perspicuum est iecur apud antiquos revera sedem esse amoris, tamen credere nequeo in nostrum locum ullum quadrare adiectivum quod ad *amorem* pertineat. Quid enim? Leno non solum dicit se morbo affectum esse iecoris, sed etiam lienis, renum, pulmonum, cordis, omnium denique hirarum. Quonam modo ex his efficere potest Palinurus illum aegrum esse morbo amatorio? Simul autem, quoniam plures corporis partes affectae sunt, manifestum est Palinurum non statuere posse lenonem aegrotare morbo iecoris, quod insuper verisimile est ex lenonis responso: „facile est miserum inridere"; nam in Palinuri verbis quae irrisio insit, non facile dixerit aliquis. Quod intelligens Acidalius, quem sequitur Goetz [1]), vs. 244 ante vs. 240 posuit. Sed sic quoque vocabulum *hepatiarius* molestias nobis exhibere pergit. Certum ergo duco corruptum illud esse: conicio autem *putidarius* (cf. v. 241), quod vocabulum nusquam quidem alibi invenitur (idem profecto de *hepatiarius* statuendum est), sed nostro loco aptissimum est. [2]) Quid enim poëtae magis in promptu esse debet quam Palinurum, postquam audivit Cappadocem omnibus fere corporis partibus aegrum esse, comice dicentem fingere: „tum te agitat morbus putidarius"? Nunc leno apte dicere potest: „facile est miserum inridere."

---

1) Analecta Plautina. Scripserunt Fridericus Schoell Georgius Goetz Gustavus Loewe. p. 108 sqq.

2) De Plauti amore adiectivorum in *-arius* cf. Lorenz ad Pseud. 952: „.... es sind unter diesen allen viele *ἅπαξ λεγόμενα*."

Digitized by Google

Iam hac molestia sublata, ad aliam est transeundum. Quidnam lenoni Palinurus dat consilii? Suadet:

Quin tu aliquot dies
Perdura, dum intestina exputescunt tibi,
Nunc dum salsura sat bonast: si id feceris,
Venire poteris intestinis vilius.

Auctor igitur lenoni est, ut perduret aliquot dies, dum sibi intestina exputescant. Hoc est perspicuum. Etiam patet quid illa admonitione spectetur enunciari verbis: „si id feceris e. q. s." Quid autem significant verba interposita: „nunc dum salsura sat bonast"? Neque veteres neque recentiores interpretes rem expedivisse mihi videntur. Explicat Gruterus: „utique cum sit ea anni tempestas, qua salsura solito carius veneat". Intelligit igitur salsuram *pretium salsurae* vel bonum *carum*, quod verum esse haud facile quisquam credet. Gronovius: „cum Turnebo censeo ad garum ex intestinis piscium putridis pretiosum liquamen respici. Nunc dum, inquit, salsura vel muries intestinorum tuorum, quae conservat intestina tua, sat bona est, integra est, facit officium, ut nondum omnia tua intestina computruerint. Et de vita, deque eo, quod sani restat, loquitur, ut de muria: de ipsis, ut de muriaticis loquebantur." Ussing, ut iam veniam ad recentiorum opiniones, recte observat verba, de quibus agimus, parenthesin esse causam continentem, cur exspectandum sit; quamquam eius interpretationem probare nequeo: „scilicet" ait „nondum exputuisse intestina, quia *salsura,* ne absumantur, prohibitura, etiam nunc satis bona sit. Sed *nunc dum*, quod codd. praebent, etiamnunc significare non potest; si autem „nunc, dum" scribatur, aut cum Acidalio aliisque „nondum", a sensu

Digitized by Google

aberretur, ìtaque *nunc enim* scripsi." Videmus neque GRONOVIUM neque USSINGIUM salsuram sumere proprio sensu, sed eam salsuram intelligere, „quam", ut laudem USSINGII verba, „ipsa natura comparasse videri possit." Quod quomodo sic accipi possit, prorsus me praeterit. Ergo ego quoque cum aliis cogito de salsura proprio sensu adhibita, ea autem hic non de piscium, sed de hominis intestinis facta. Sed ne sic qnidem locus ex tenebris emersit; ne nunc quidem perspicitur, quid illud *salsura* sibi velit neque quid Palinurum commoverit ad mentionem iniciendam de salsura. Et haec et alia GOETZIUM compulerunt, ut l. l. cogitaret de lacuna. Iam supra vidimus virum doctum ACIDALII transpositionem, versum 244 ante 240 collocantis probare; verum tamen nunc novam difficultatem invectam esse putat. „Lienosis enìm" ait „cum hoc praecipiat Celsus de med. IV 9: 'hoc vitium quies auget; itaque exercitatione et labore opus est', qui quaeso potest Palinurus inridere miserum, cui saluberrima dat praecepta?" Unde viro docto apparere videtur sententiam hiare. Quod ipse novo probare posse sibi videtur argumento: verba enim „quin tu aliquot dies perdura, dum intestina exputescunt tibi e. q. s." procul dubio ad aliud medicorum de eodem morbo praeceptum esse referendum dudum intellectum esse contendit. Celsus enim l. l. haec quoque habet: „dulcia omnia inimica sunt;.... edenda sunt s a l s a m e n t a vel oleae vel ex muria dura." „Iubet" ait GOETZ „Palinurus lenonem durare, donec intestina labefiant; quod statim fieri non posse, cum bene sint sallita, posse tamen fieri, si per paucos dies salsamentis abstinuerit; tum enim fore ut tanto minus veneat, quanti sola sint intestina." Quibus

Digitized by Google

omnibus statutis necesse nimirum erat nonnulla intercidisse putare. Quam opinionem vir doctus etiam alia re confirmari sibi persuasit: versu quodam Sereni Sammonici; est c. 23 vs. 420:

Dulcia, Plautus ait, grandi minus apta lieni.

Quem versum ad nostri pertinere existimat loci lacunam; ergo ludens ex eo hunc senarium fecit:

Nam grandi lieni minus sunt apta dulcia.

Quae fere desideret, dicit his verbis: „exspectares mentionem antea iniectam ciborum, quos leno ut ederet suaderet Palinurus. Velut cum negasset leno ambulationem sufficere ad morbum tollendum, poterat alterum ille proferre praeceptum et pergere leno, se hoc quoque iam satis superque frustra adhibuisse. Tum iocos ille incipit respondetque leno, facile esse miserum inridere, et persistit servus in irridendo."

Concludit, „cum et ante vs. 241 desiderentur nonnulla et post versum 239" [1]) (sic autem versus disponit:

239 P. Tum te igitur morbus agitat hepatiarius.
240 C. Lien dierectust. P. Ambula: id lieni optumumst.
241 C. Facilest miserum inridere. P. Quin tu aliquot [dies e. q. s.)

„se non dubitare, quin versus 240 una cum eis, qui interciderant a librario forte omissi et in margine additi sint, quorum unus in continuitatem verborum irrepsit."

Nunc ipse quid sentiam dicam. Iam supra egi de versu 239 et probare conatus sum versu 240 „facile est e. q. s." recepto quod proposui pro *hepatiarius* optime versum 239 excipi. Neque arbitror versum 244: „Lien dierectust e. q. s."

---

1) Cur autem hic, fac eius opinionem de lacuna veram esse?

Digitized by Google

eo loco, ubi traditus est, molestum esse: leno non respondens iocis servi fingendus est subito dolore lienis affectus et ut opinor manu eam corporis partem, ubi lien est, premens et vultu pleno doloris lamentans: „lien dierectust" (de voce *dierectus* videatur infra). Ad quae Palinurus: „ambula, id lieni optumumst." Quod Goetz Celsum affert, ut demonstret Palinurum lenoni saluberrima dare praecepta, quod et per se spectatum non admodum verisimile est, cum Palinurus lenoni minime benevolus sit, id nullius esse mihi videtur momenti. Quaero enim, ideone, quod Celsus lienosis exercitationem et laborem praecipit, poëtam quoque hoc praeceptum notum habuisse constet. Immo statuerim potius hominem medicinae imperitum, haud tamen ignorantem saepius ex celeri cursu lienis dolorem exsistere, ambulationem lienoso obesse putasse (cf. Merc. 124, ubi servus Acanthio queritur sibi lienem quod propere cucurrerit seditionem facere). Accedit quod leno, tot corporis partibus laborans, praesertim tamen propter ventrem collativum, haud facile se commovisse putandus est; quare minime mirum mihi videtur lenonem Palinuri verba tanquam irrisionem accipere. Recte igitur respondet: „aufer istaec, quaeso."

Digitized by Google

CAPUT III.

De vocabulo Plautino q. e. dierectus.

Restat nunc, ut nonnulla de mira illa voce *dierectus* in medium proferam, cui quaestioni totum hoc inserviet caput. Vox ergo illa in Plauti textibus tredecim legitur locis. Veteres grammatici vocabuli originem a *dies* et *erigere* repetebant. Fest. p. 69: „dierectus dicebant per antiphrasin, volentes significare malum diem"; Non. 49: „dierecti dicti cruci fixi, quasi ad diem erecti." Quae etyma nugatoria esse elucet. Non vero magis probare possum eorum virorum doctorum opinionem, qui vocabulum originem traxisse putant a particula inseparabili *dis* et verbo *erigendi*: e. g. Brix ad Trin. 457 habet haec: „*dierectus* (nur bei Pl.) v. *di* und *erigere*, also: auseinander (gespannt) in die Höhe gerichtet, wird eigtl. von Sklaven gesagt, die an den Galgen (Kreuz) aufgerichtet und an den Gliedern auseinandergerenkt wurden..... Dem *dierectus* steht der *furcifer* nahe, daher ist *dierecte ire* ziemlich s. v. a. *in malam crucem ire*, indem wie in unserem 'geh zum Henker' u. a. der volle wörtliche Sinn zurücktrat, so dass *dierectus* auch von *lembus*, *cor*, *lien* gesagt wurde." Eadem fere leguntur apud Loren-

Digitized by Google

ZIUM ad Most. 150. Adversus quam explicationem suo iure clar. SPEIJER in Glossario ad Captivos observat ante vocalem pro *dis* non stare posse *dī*. Addo: si revera in vocabulo nostro verbum *erigendi* inesset, nonne admodum esset mirum nusquam locutionem *erigere in crucem* inveniri? Dicitur *in crucem tollere*, *cruci affigere* vel *suffigere*, *cruce afficere*, numquam *in crucem erigere*. Tamen quod SPEIJERUS amplectitur sententiam SALMASII *dierectus* nihil aliud esse quam Graecum διάρρηκτος, hoc quoque improbandum esse censeo.

Etiam de vocis prosodia dissentiunt viri docti. SPEIJERUS cum aliis contendit vocem trisyllabe per synizesin pronuntiandam esse; quod si verum est, multis profecto locis textus mutandus est. Contra BRIX ad Trin. 457: „das Wort ist nur hier durch Synizese dreisilbig, dagegen viersilbig Bacch. 579. Men. 442. Merc. 183. Poen. 347. Rud. 1170, an andern Stellen ist die Messung zweifelhaft."

Ipsos locos, ubi vox invenitur, contemplemur atque quid illa nos doceat contemplatio videamus. Praeterquam nostro Curculionis versu legitur:

Bacch. 579:

Recede hinc dierecte, ut pulsat propudium.

Capt. 636:

Quin quiescis? <i> dierectum cor meum, ac suspende te.

Cas. 103:

Abi rus, abi dierectus tuam in provinciam.

Men. 442:

Ducit lembum dierectum navis praedatoria.

Merc. 184:

In' hinc dierectus? nugare in re capitali mea.

Merc. 756:

Digitized by Google

L. Abin dierectus? C. Haud malast. L. At tu malu's.

Most. 8:

Abi rus, abi dierecte, abscede ab ianua.

Most. 849. 850:

Est! abi, canis est! abin dierecta? abin hinc in malam [crucem?

Poen. 160:

A. Abi dierectus. M. Dic mihi vero serio.

Poen. 347:

M. Bellula hercle. A. I dierecte in maxumam malam [crucem.

Rud. 1170:

P. Post sicilicula argenteola et duae conexae manu- [culae et

Sucula. G. Quin tu i dierecta, cum sucula et cum [porculis.

Trin. 457:

L. Abin hinc dierecte? S. Si hercle ire occipiam, votes.

Praeterea Nonius hunc affert versum Eumenidum Varronis:

Apage in dierectum a domo nostra istam insanitatem.

Quod ad summum attinet, de vocis usu recte disputat Onions [1]): „it is used always with verbs of motion, (1) as a vocative, (2) as a nominative agreeing with the verb, (3) as an accusative agreeing with the object." Pro verbis movendi equidem verba „amovendi" dixerim potius; praeterea formas in *-e* exeuntes adverbia mihi esse videri, non vocativos, mox apparebit.

Veram vocis formam invenisse mihi videtur Nettleship,

---

1) Journal of Philology XIV p. 61 sq.

Digitized by Google

qui teste Onionsio (ipsius disputatio mihi prae manibus non fuit) vidit formam *dierectus* inde natum esse, quod primum vel *derectus* vel *directus* scriberetur, deinde duae istae vocabuli figurae inter se permiscerentur [1]); miror igitur Onionsium, licet probet opinionem Nettleshipii, servare formam *dierectus*; nam si haec ita exstitit, ut dictum est, nihili eam esse statuamus necesse est et aut *directus* aut *derectus* scribendum est. Quam autem vim Nettleshipius voci tribuendam esse putet, efficio ex his: scribit 'Journal of Philology' XIII p. 75 haec: „*disrectum*, *divisum*. Gloss. Hild. This gloss confirms the view of *dirigo* which I expressed in a former number of this Journal"; atque eorundem Annalium vol. XIV p. 30: „*derectarius* κατάρατος, Gloss. Lat. Graec. (Philoxenus). This gloss supports the theory which I have already maintained in this Journal, that *dierectum* is in some cases a corruption for *derectum*." Eandem ergo fere voci vim praebet quam ceteri viri docti, contumeliosam. Alio prorsus modo rem se habere persuasum mihi est: vocem natura sua contumeliosam esse nego, quod dilucide demonstrat versus Menaechmorum, ubi servus loquitur de ero; nequaquam autem iratus est, immo lamentatur, quod erus praeda facta sit meretricis. Atque si vox convicii vim habere censenda est, cur non adhibetur e. g. Pseud. 360 sqq., ubi omnium fere conviciorum collectio exstat?

Iam supra vidimus vocem semper adnecti verbis amovendi. Quid autem magis consentaneum est quam eius modi verbis adiungi vocem, quae rationem indicet, qua

---

1) Eodem modo Merc. 58 pro *didier* CD habent *diedere*, B *die heret*.

Digitized by Google

amovetur vel amovendum est? Cf. Ter. Andr. 255: „abi cito ac suspende te", et 600: „quid causaest quin hinc in pistrinum recta proficiscar via?" Quid multa? *Directus* restituendum est pro *dierectus* notione fere τοῦ *recta via,* sed aliquanto maius habet pondus maioremque emphasin, ita ut apud Plautum tantum non semper ab eo usurpetur, qui iratus est, quemadmodum nos locutionem *„als de bliksem"*, si alloquimur eum, quem abire iubemus, vix unquam nisi irati adhibemus, quamvis in ipsis verbis contumeliosi insit nihil.

Directus opponitur τῷ *anfractus* apud Varronem L.L. 7, 2, 15: „in directo pedum octo, in anfracto sexdecim (scil. oportet esse viam)". Praeterea vocabuli nostri causa cf. Cic. Nat. D. I, 69: „ait atomum, cum pondere et gravitate directa deorsum feratur, declinare paululum"; II, 144: „(auditus) flexuosum iter habet, ne quid intrare possit, si simplex et directum pateret"; Acad. IV, 66: „directius gubernant."

Notum est compositorum verborum initiales syllabas *dis-* et *de-* in libris saepe confundi, atque mature iam nata videtur dubitatio, utrum esset scribendum *directus* an *derectus* (Men. 442 B prima manu habet *derectum,* altera manus supra *e* scripsit *i;* Most. 8 C B² *directe,* Trin. 457 codd. Palatini *directe*). Grammatici corruptam formam legitimum esse vocabulum opinari coeperunt et sic illa vox, quamvis sit nihili, in plerosque locos irrepsit. Praesertim versus quales sunt Most. 850 et Poen. 347 propter illud *in malam crucem* eos in errorem duxisse verisimile est.

Plerisque locis forma vera restitui potest sine ulla alia mutatione. Bacch. 579 pro *recede* lego cum Bothio *recedin.*

Digitized by Google

Men. 452 pro *ducit* substituo *abducit*, quod verbum multo aptius mihi videtur quam simplex *ducere*, nam abducunt praedones vel naves praedatoriae. Merc. 184 omnino mihi placet quod coniecit ONIONS l. l. p. 63, qui ante *nugare* inserit *tun*. Poen. 347 cum PYLADE post *hercle* est inserendum *est*. Rud. 1170 transpono *i tu*. Versus Varronis sic emendari potest: „apage in directum <tu> a domo nostra istam insanitatem"; pro *in directum* cf. Sen. nat. quaest. 6, 20: „cadere in directum." [1])

Quod autem *amovendi* tantummodo verbis adiungi adverbium nostrum dicebam, unus hic repugnat Curculionis locus, quare non dubium videtur, quin aliud quid ibi sit legendum: conicio autem *diffractus* (traditum est *dieructus*).

---

1) Ut *directus*, sic et *diversus* variis adhibetur modis: „suam quisque ibant divorsi domum" Rud. 1255; „divorsus distrahor" Merc. 470; „diversae state" Truc. 797; „divorse trahunt" (*alii „divorsae"*) Ter. Andr. 260; „diverse iacebant" Auct. B. Afr. 40; „divorsius conciderant" Sall. Cat. 61; „dispennite hominem divorsum" Plaut. Mil. 1407; „in diversum trahunt" Liv. XXV, 11, 8. Eandem hic agnoscimus varietatem.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Curculionis actu secundo continuatur disputatio.

Venio iam ad explicandos versus 240—243. Omnium primum miror, quo argumento Goetz sibi persuaserit Palinurum lenoni auctorem esse, ut per paucos dies salsamentis abstineat. Vix credere possum eum illam significationem inesse in verbo perdurandi putare: nam *perdura* nihil aliud est quam Graecum *καρτέρει*. Servus lenoni post eius querimonias suadet ne animum despondeat. Neque omnino cum Goetzio facere possum in statuenda lacuna. Sed vs. 242 corruptum esse existimo; corrigo sic: „nondum (*hoc cum Luchsio*) [1]) salsurae sat bona sunt," i. e. nondum satis sunt putida; etiam putidiora esse debent, ut bonum garum ex iis comparari possit. De garo ex putidis piscium intestinis facto cf. Plin. H. N. XXXI § 93: „aliud etiamnunc liquoris exquisiti genus quod garum vocavere, intestinis piscium ceterisque quae abicienda essent sale maceratis, ut sit illa putrescentium sanies." „Si id feceris" pergit Palinurus „venire poteris" quid? *Care*ne? Hoc nimirum exspectatur, quippe cum lenonis animus totus sit in care vendendi arte; sed

---

1) Hermes VIII p. 117.

Digitized by Google

ἀπροσδοκήτως sequitur „intestinis vilius," i. e. „tum tu etiam vilior eris quam intestina, tum intestina tua id erunt, quo carius nihil in te inveniri poterit." Vides me *intestinis* ut ablativum comparationis accipere, non ut Ussingium, qui explicat: „tanto vilius vendi poteris, quanto intestinis absumptis levior eris", vel Goetzium, cuius interpretatio videatur supra. Magnopere enim vereor, ut *intestinis vilius* dici possit pro *propter intestina putida vilius.*

Postremo, quod Serenus Sammonicus testatur Plautum dicere dulcia minus apta esse grandi lieni, hoc ex aliqua fabula, quae iam non exstat, eum petivisse opinor.

vs. 253.

Palinurus a lenone rogatus, ut sibi coniciat somnium, quod proxima nocte viderit, quominus faciat impeditur interventu coqui, qui illum intro ire iubet. Rogat autem, ut paulisper maneat, dum somnium coniecerit:

P. Mane sis, dum huic conicio somnium.
C. Tute ipse, siquid somniasti, ad me refers.

Cur Brix [1]) inter hos versus aut plures aut unum saltem, eumque huiuscemodi fere: „immo ego coniciam, nam coniector sum optumus," intercidisse putet, equidem non intellego. Quidnam hic desideratur? Nonne aptissime coquus Palinuro plenus admirationis obicit: „tute ipse, siquid somniasti, ad me refers?" Tamen pro *tute* legere malim *tune*, quo magis sit perspicua ista admiratio (*Tune* Plautino more pro *nonne tu*). Et quomodo, ut ad Brixii supplementum redeam, coquus, qui non sit rogatus a lenone, ita ut nesciat, velitne ille se coniectorem an nolit,

---

1) Neue Jahrbücher, 101 p. 764.

Digitized by Google

dicere potest: „ego coniciam?" Etiam ex Cappadocis verbis vs. 257: „Operam ut det" apparet lenonem saltem id illum dicentem non audivisse, et audivisset, si coquus dixisset, quoniam prope Palinurum stabat.

vs. 259. Leno somnium narraturus rogat coquum, ut operam sibi det; hic respondet:

Tam etsi non novi, dabo.

Haec recte tradita esse credere nequeo; nam ex tota scaena luculenter apparet notum esse lenonem coquo. Atque quod dicit Ussing: „ignotis operam dare non solemus" nimirum nihili est; complura ex ipsis Plauti fabulis exempla afferri possunt ad demonstrandum saepe fieri ut ignoti inter se operam dent i. e. auscultent. Dubito autem, quid sit legendum. Utrum pro *non* scribendum est *te*, ut coquus dicat: „quamquam te novi, ita ut sciam mihi probro habitum iri, siquis me tecum loquentem viderit (cf. vs. 502 sqq.), tamen operam tibi dabo"? An *iam*, ut haec evadat sententia: „iam novi (scil. quid somniaveris; dicto vix opus est); sed tamen dicas velim"? Inepta quidem sic atque fastidiosa nascitur coqui iactatio, sed notum est hanc saepe in comoedia nova irrideri.

At in aliam ego incidi suspicionem, quae forsitan magis probabilis sit quam quas iam proposui. Quid enim magis aptum huic loco cogitari potest quam coquum dicere: „tametsi mihi otium non est, dabo?" Quod ut numeris quoque aptarem, excogitavi hoc: „tam etsi id non otist, dabo;" *id oti* pro *id otium*, item atque *id negoti* pro *id negotium*; atque *id otium* pro *otium eius rei;* cf. Ter. Ad. 419 „otium auscultandi" et Mil. 764 „otium rei," ubi Brix sine causa legit „mihi."

Digitized by Google

Etiam cogitari potest de „tam etsi non operaest, dabo," quia sic me iudice non invenustus exsistit lusus verborum. Fieri potest, ut aliquis interpretandi causa supra *operae* scripserit *oti,* quod vera lectione e textu exturbata deinde corruptum sit in *novi.*

De locutione *non operae est* videatur Brix ad Mil. 252.

vs. 260 sq. Quid somniaverit, leno sic narrare incipit:

Hac nocte in somnis visus sum viderier
Procul sedere longe a me Aesculapium.

Lambinus vs. 260 pro *viderier* scripsit *tuerier,* „scripturae veteris obscura vestigia secutus." Ne autem „duplex verbum" (*videre* et *videri* inter se iuncta) moveatur, merito monet Leo laudans Epid 62, Most. 270, 820 (Rud. 255), Ter. Ad. 384; ipse dubitanter conicit *videre ego.* Nescio autem, an nihil sit mutandum. *Videri* iungitur cum accusativo c. inf. in fragmento Ennii apud Cic. de div. I, 42: „mater gravida parere se ardentem facem visa est in somnis Hecuba." Etiam apud Plautum duo tradita sunt exempla, verum coniecturis e textu sublata: sunt Aul. 811: „vocem hic loquentis modo me audire visus sum;" Ep. 537: „videor nescio ubi me vidisse prius;" utroque loco *me* mutatum est in *mi.* His igitur locis atque loco Enniano comparatis ne nostro quidem loco accusativus c. inf. quidquam habere offensionis videtur. Quod autem leno non dicit: „visus sum Aesculapium sedere," sed „visus sum viderier Aesculapium sedere," id inde explicandum est, quod dubitanter cunctanterque loquitur; nam quemadmodum libenter, ut est in proverbio, credimus, quod volumus, sic quod evenire nolumus inviti credimus.

Digitized by Google

Cf. Trin. 404 sq., ubi servus in reddenda ratione pecuniarum expensarum ero roganti: „estne hoc quod dico, Statime?" respondet: „quom considero, meminisse videor fieri." An nostro loco redditur Graecum ἔδοξα δόξαι?

vs. 263 sqq. Post narratum somnium, si libris manuscriptis fides est habenda, haec respondet coquus:

Item alios deos facturos scilicet:
Sane illi inter se congruont concorditer.
Nihil est mirandum, melius si nil fit tibi,
Namque incubare satius te fuerat Iovi,
Qui tibi auxilio in iure iurando fuit.

Ad quae leno:

Siquidem incubare velint qui periuraverint,
Locus non praeberi potis est in Capitolio.

At qui coquus primum dicere potest ceteros deos item facturos esse quod Aesculapium, illosque inter se concorditer congruere, tum autem lenonem in Iovis templo incubare oportuisse, quod ne hoc quidem quicquam profuisset, quoniam Iuppiter cum ceteris diis congrueret? Non igitur credere possum verba, quae libri coquo tribuunt, omnia eius esse; duos priores versus: „item — concorditer" Palinuro reddo, quem duas ob causas non de scaena abiisse arbitror, quarum alteram nunc indicabo, alteram infra. Vs. 258 leno Palinurum coquo obsequentem abire ratus dicit: „facit hic quod pauci, ut sit magistro obsequens·[1]) Qui versus tum demum lepidus mihi videtur, si accipimus Palinurum tantum simulare se

1) Müller 'Plautinische Prosodie' p. 530 *oboediens;* Leo confert *ma[gi]steratus* in lege Lucerina et *magisterare* apud Fest. 153.

Digitized by Google

abire, revera autem in extremam scaenae partem recedere, ubi coquum gestibus ludibrio habeat, nisi (id quod minime necessarium videtur) versum, quo secum dixerit se non abiturum esse, intercidisse accipiendum est. Palinurus secum loquitur: „item — concorditer"; coquus ad lenonem: „nihil est mirandum e. q. s." Versum 267 autem sanum non esse persuasum mihi habeo, non solum propter hiatum post *tibi,* sed etiam quoniam non dispicio, quo illud iusiurandum spectet. Saepius in hac fabula commemoratur iusiurandum, quod multas viris doctis peperit molestias, de qua re infra plura disputabo. Ad nostrum autem locum illud nihil pertinere certo certius mihi videtur. Nam quocunque modo se illud habet iusiurandum, de quo dissentiunt viri docti, potestne hic cogitari de certo quodam iureiurando? Nonne Iuppiter, cui deo totum hoc est commissum negotium, in quovis iureiurando i. e. in iurando vel si ita res fert in periurando hominibus auxilio est? Aut igitur desideratur *in iurando* aut *in periurando.* Utrum hic eligendum sit, propter lenonis verba versus sequentis: „qui periuraverint" dubium esse nequit. Quodsi praeterea hiatus post *tibi* eliminandi causa pronomini *qui* addimus *quidem*, optimus evadit versus: „qui quidem tibi auxilio in periurando fuit," atque aptissima huic loco sententia.

Quae si recte disputavimus, non cum Leonio statuendum est vs. 265—269 non satis bene cum prioribus cohaerere atque a Plauto adiectos esse Atticis. Cur enim suspicemur illos versus non apud Graecum poëtam exstitisse? Quidni in Graeco exemplari pro *in Capitolio* exstare potuit „ἐν τῷ τοῦ Διός ἱερῷ"?

Digitized by Google

vs. 273 sqq. Lenonem abeuntem ut pacem ab Aesculapio petat, bono hoc prosequitur omine coquus:

Quae res male vortat tibi.

Quae tum sequuntur, sic praebent libri (tres priores versus coquo continuantur):

Pro di immortales, quem conspicio? quis illic est?
Estne hic parasitus qui missust in Cariam?
Heus Phaedrome, exi, exi, exi, inquam, ocius.
P. Quid istic clamorem tollis? C. Parasitum tuom
Video currentem ellum usque in platea ultima.
Hinc auscultemus quid agat. P. Sane censeo.

Omnes recentioris aetatis editores sequuntur Fleckeisenum, qui post vs. 273 maiorem lacunam detexisse sibi visus est; quibus argumentis nisus hoc probare studuerit, ignoro, quoniam investigare, in quo opere sententiam suam pronuntiaverit, non potui. Ussing integrum folium periisse putat; Goetz [1]) autem non videt „praeter versus aliquot qui ad Palinurum pertinent plura intercidisse quo iure coniciamus." De hac autem re consentiunt viri docti: verba: „pro di immortales — ocius" Palinuro danda esse, atque hunc ante illa iam nonnulla esse locutum necesse esse. Tum verba: „quid — tollis?" Phaedromo, „parasitum — agat" Palinuro, „sane censeo" Phaedromo tribuuntur.

Sed reverane post vs. 273 lacunam statuamus ita necesse est? Nonne sumere licet coquum post verba: „quae res male vortat tibi" introiturum subito, cum procul conspiciat quendam hominem, quem parasitum esse arbitratur, consistentem secum loqui: „pro di immortales

1) Praef. p. XXII.

e. q. s."? Tum Palinurus, qui scaenam non reliquit (haec altera causa est, de qua supra dixi, quamquam etiam sumi potest illum, ut sunt servi nova videndi cupidissimi, ante erum prodire): „quid istic clamorem tollis?" Coquus autem ad servi interrogationem non attendens, intro vocat: „parasitum tuom video currentem ellum usque in platea ultima." Sed nunc nonnulla desidero, quibus Phaedromus, qui interea prodiit, magnam suam laetitiam significat ob parasiti adventum; neque enim mihi probari potest illum de ea re, de qua tam erat sollicitus (vid. vs. 223 sqq.) nullum verbum muttivisse. Cf. Poen. 208, ubi Agorastocles a servo foras vocatus, ut spectet suos amores, sic gaudium suum effundit: „o multa tibi di dent bona, Quom hoc mihi optulisti tam lepidum spectaculum." Tum verisimile mihi videtur Phaedromum coquum intro ire iussisse, ut quae ad prandium opus essent, pararet, et his se ad servum convertisse verbis: „tu, Palinure, huc concedamus et

Hinc auscultemus quid agat."

Ad quae Palinurus: „sane censeo."

Ergo lacuna statuenda est post vs. 278.

Nam minime probanda mihi videtur opinio poëtam denuo Palinurum exeuntem finxisse. De qua enim re loqui existimandus est? Atque cur poëta de parasiti adventu certiorem fieri Phaedromum a Palinuro potius fingere debuit quam a coquo, cui parasitum non minus quam Palinuro notum esse constet? Apparet enim coquum in nostra fabula item ut in Menaechmis, servum esse familiarem (cf. vs. 254), non ut in plerisque fabulis, ubi coqui in scaenam prodeunt, hominem de foro conductum.

Digitized by Google

vs. 280 sqq. Prodit in scaenam Curculio parasitus e Caria reversus:

C. Date viam mihi, noti [atque] ignoti, dum ego hic
[officium meum
Facio: fugite omnes, abite et de via decedite,
Ne quem in cursu capite aut cubito aut pectore
[offendam aut genu.
Ita nunc subito, propere et celere obiectumst mihi
[negotium,
Nec <homo> quisquamst tam opulentus, qui mi
[obsistat in via,
Nec strategus nec tyrannus quisquam, nec agoranomus,
Nec demarchus, nec comarchus, nec cum tanta gloria,
Quin cadat, quin capite sistat in via de semita.
Tum isti Graeci palliati, capite operto qui ambulant,
Qui incedunt suffarcinati cum libris, cum sportulis,
Constant, conferunt sermones inter se<se> drapetae,
Obstant, obsistunt, incedunt cum suis sententiis,
Quos semper videas bibentes esse in thermipolio,
Ubi quid subripuere: operto capitulo calidum bibunt,
Tristes atque ebrioli incedunt: eos ego si offendero,
Ex unoquoque eorum exciam crepitum polentarium.
Tum isti qui ludunt datatim servi scurrarum in via,
Et datores et factores omnis subdam sub solum.
Proin se<se> domi contineant, vitent infortunio.
PH. Recte hic monstrat, si imperare possit. Nam
[ita nunc mos viget,
Ita nunc servitiumst: profecto modus haberi non
[potest.

In his versibus alii alia delent: Ussing aperte spurium habet vs. 292, at defendit hunc Goetz, contra delet vs.

293 itemque vs. 289. Ussing hoc offenditur, quod homines, qui in praecedentibus versibus cum maxime in platea constare et obstare dicuntur, iidem hic autumantur semper esse in thermipolio. Sed si versus sequentis verba: „ubi quid subripuere" cum praecedenti versu coniungimus, sicut fecit Leo, nihil iam illud *semper* habet molesti: semper si aliquid subripuere, in thermipolio sunt. Quod Goetz Acidalium sequitur, qui pro *bibentes* habet *lubentes*, hoc probare non possum. Nam *bibentes esse* non invenustum est: simul edunt et bibunt.

Goetz Ussingii sententiam de vs. 292 refellens [1]) tamen aliud argumentum, quam quibus usus est vir doctus, premi potuisse putat: „wohl aber hätte ein anderes Argument betont werden können, die Thatsache, dass dieser Vers mit dem volgenden sich so ziemlich deckt, so dass es ganz unglaublich ist, es hätten beide von Anfang an nebeneinander gestanden. Trotzdem glaube ich nicht, dass der von Ussing eingeklammerte Vers der spätere ist, da die Verdachtsmomente, die sich gegen V. 293 vorführen lassen, weit gravirender sind. V. 293 berührt sich nämlich nicht bloss inhaltlich mit V. 292, sondern noch obendrein formell' mit V. 288; dort steht capite operto, hier operto capitulo: eine Nachlässigkeit, die an sich möglich, sicherlich aber nicht wahrscheinlich ist. Nehmen wir aber V. 293 weg, so werden nicht nur die hervorgehobenen Mängel beseitigt, sondern es wird auch zugleich ein sehr enger Anschluss zwischen V. 292 und 294 erzielt, der selber wieder dieser Athetese zur Empfehlung dient. Nur muss mit Bothe für das aus dem

1) Rheinisches Museum XXXIV, p. 606.

Digitized by Google

Vorhergehenden eingedrungene incedunt das auch von Fleckeisen gebilligte abscedunt recipirt werden, so dass der Gedanke entsteht: die Herren sind immer vergnügt, so lange sie im Thermipolium sind; ist aber das Geld zu Ende, gehen sie betrübt von dannen". Sed suntne haec Goetzii argumenta contra vs. 293 tanto graviora quam Ussingii contra vs. 292? Primum, si verum est, quod supra probare conatus sum: „ubi quid subripuere" iungendum esse cum versu praecedenti, inde sequitur, ut uterque versus retinendus sit. Omnino autem necessarium mihi videtur illa verba cum praecedentibus coniungere. Hoc nisi facimus, ob eandem causam versu 292 offendor ob quam Ussing, cuius argumentatio neque refellitur a Goetzio: „weil semper nicht urgirt zu werden braucht", neque a Langeno[1]): „nun daraus, dass sich einer immer im Wirtshaus aufhält, folgt doch nicht, dass er nie auf der Strasse zu treffen ist, er muss doch zum wenigsten die zahlreichen Gänge von Hause hin und zurück machen". Nam ex praecedentibus versibus apparet eos admodum molestos esse in via magnamque diei partem ibi versari. Si uni huic rei darent operam, ut aliquod thermipolium peterent, non consisterent neque obsisterent neque in via conferrent sermones inter se. Tum quod dicit Goetz quod vs. 288 *capite operto*, versu autem 293 *operto capitulo* legatur, eiusmodi negligentiam committi quidem potuisse, minime tamen in limato exspectari opere, de hac re cum viro docto non facio. Versu 288 magis in universum Graeci isti dicuntur capite operto in publicum prodire, quod nimirum faciunt

1) Plautinische Studien, p. 36.

Digitized by Google

non solum mollitie, sed praesertim gravitatis simulandae gratia, tamquam si animus sic minus turbetur rebus, quae in vicinia aguntur. Illa gravitas praesertim irridetur. Etiam cum bibunt (vs. 293) caput opertum servant gravitatemque retinere conantur; deminutivum autem ponitur, ut inanitas irrideatur levitasque. De ultimo Goetzii argumento post ea quae disputavi unum hoc dico: quoniam vs. 293 contextum minime turbat, ne hoc quidem argumentum quidquam valere ad versum condemnandum.

„Nicht minder verdächtig", ait Goetz l. l., „als V. 293=292 ist ein anderes Verspaar 289=291. V. 289 heisst es von den Griechen: incedunt suffarcinati cum libris, cum sportulis und V. 291: incedunt cum suis sententiis, also ähnlicher Gedanke in ähnlicher Form. Auch in diesem Falle ist es möglich, den Eindringling mit Wahrscheinlichkeit zu erkennen. V. 290 nämlich werden die Griechen als drapetae bezeichnet, was nur verstanden werden kann durch eine enge Verknüpfung mit dem Vorhergehenden operto capite. Den Schlüssel für die Erklärung gibt uns Seneca ep. XIX 5, (114) 6, wo es von Maecenas heisst: hunc esse, qui in tribunali, in rostris, in omni publico coetu sic adparuerit, *ut pallio velaretur caput* exclusis utrimque auribus, *non aliter quam in mimo divites fugitivi* solent. Die griechischen Philosophen verhüllten sich also mit dem Pallium, ähnlich wie die fugitivi zu thun pflegten: daher die Bezeichnung drapetae. Das richtige Verständniss dieser Stelle wird aber fast unmöglich gemacht durch den dazwischen stehenden V. 289: ein deutliches Indicium, dass er der Eindringling ist, nicht V. 291. Damit erzielen wir zugleich den weiteren Vor-

Digitized by Google

theil, dass die lästige Wiederholung des incedunt in V. 289 und 291 beseitigt wird. Occedunt zu schreiben, wie Bothe räth, dafür vermisse ich den zwingenden Grund" [1]).

Videamus, fueritne hic felicior in investiganda dittographia. Revera ex loco Senecae apparet illud *drapetae* arte cohaerere cum *capite operto*. Sed num ille nexus versu 289 rumpitur? Me quidem hoc prorsus latet. Parasitus odiosos molestosque Graecorum philosophorum mores enumerans tandem in stomachum erumpit et „drapetae!" exclamat i. e. isti perditi, isti θεοῖς ἐχθροὶ drapetae! Illud autem *incedunt*, non propter „die lästige Wiederholung", sed quoniam nequaquam sanam inde sententiam excutere possum, omnino cum Bothio in *occedunt* mutandum mihi videtur; tum demum tribus illis verbis ab *ob* incipientibus clare diserteque depingitur, quantopere molesti homines isti sint: non solum obstant obsistuntque, sed etiam occedunt alteri cum suis sententiis. Ut iam dixi, non repetitio verbi me induxit, ut mutarem; nam vs. 294 *incedunt* servandum esse censeo; consulto enim ibi repetitum esse videtur. Incedendi quoque verbo Graecorum gravitas deridetur; in hoc enim verbo aliquid inest tarditatis gravitatisque; cf. Sen. quaest. nat. 7, 31: „tenero et molli ingressu suspendimus gradum: non ambulamus, sed incedimus". Parasitus fingendus est illos, quos deridet, imitans: primum, vs. 289, inducitur gestibus indicans, quomodo suffarcinati cum libris et cum

---

1) Praef. Curc. p. XXII ann. 3 Goetz sententiam pronuntiat vs. 289 et 293 secundo saeculo vel tertio ineunte subnatos esse, „quo tempore homines interpolandi studio incensos in Plautinas fabulas grassatos esse" alibi se docturum esse promittit.

Digitized by Google

sportulis graves incedant, tum, vs. 294, quomodo, quamquam temulenti, tamen graviter incedere conentur. [1])

Multum sudarunt viri docti in explicando vs. 299: „recte hic monstrat, si imperare possit.“ Quid haec sibi verba volunt? Alii Phaedromum Curculionis ultima verba sic probare censent, alii contra vituperationem iis significari statuunt arrogantiae, qua in loquendo usus sit parasitus. Ab horum stans partibus Goetz rogat, itane molesti sint illorum servorum mores, ut iure Phaedromus tam severe de iis iudicare possit. Recte ei respondet Ribbeck, [2]) qui observat illum pilarum ludum, si in via luditur, minime tam innocuum esse quam ille putat. Necesse autem est, si Goetzium sequamur, Curculionem servum esse accipiamus. Quod cum Goetzio incredibile videretur, ideo, ut opinor, statuit libertum eum esse. Locum autem sic explicat: „er spielt sich auf, als habe er zu befehlen, woran sich die Klage schliesst, dass überhaupt mit dem Sclavenvolke kaum noch auszukommen sei. Dass Curculio ein Freigelassener war, kommt gegen diese Auffassung nicht in Betracht.“ At rogo cum Langeno: [3]) „aber woher weiss denn Götz überhaupt, dass Curculio Freigelassener war! Die Parasiten der Palliata sind herunter gekommene freigeborene Bürger, nicht Freigelassene, und wir sind keineswegs berechtigt, die-

---

1) Ludovicus Buchhold in dissertatione inaugurali Lipsiensi a. 1883, cui titulus: „De Paromoeoseos (Adlitterationis) apud veteres Romanorum poetas usu“ p. 83² vs. 288—291 nullo divelli posse monet modo; nam arcte inter se coniunctos esse, non solum homoeocatalecto in *-ati* 288, 89, in *-is* 289, 91, sed etiam homoeocatarcto 290, 91 Constant conserunt — obstant obsistunt.

2) l. l. p. 87.

3) Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus p. 49.

Digitized by Google

selben als aus dem Sklavenstande hervorgegangen zu denken, wenn es nicht ausdrücklich angegeben wird." Atque quomodo verba „recte monstrat" vituperationem continere possunt? (Cf. Stich. 146). Et quomodo illa verba explicari possunt: „er spielt sich auf"? Iam sua proposita explicatione GOETZ verba tradita non poterat non corrupta putare. Quamobrem proposuit: recte hic monstrat, quasi imperare possit", neque probans DOUSAE coniecturam: „recte hic monstrat se imperare posse", neque FLECKEISENI: „recte hic monstrat: se imperare poscit", quae coniectura me ut rogem inducit, num *poscere* apud Plautum aeque ac *postulare* accusativum c. inf. secum habere possit.

Persuasum igitur mihi habeo illos viros doctos verum vidisse, in quorum sunt numero RIBBECK, LANGEN, LEO, qui perspexerunt Phaedromum Curculioni assentiri. Nolim tamen sequi LANGENUM, qui coniecturae a Dousa propositae patrocinatur: „doch" ait „halte ich seine Erklärung für falsch: *satis verbis ostendit, qualis factis* (?) *et quam impotens demum futurus sit, si quidem Imperator evadat scilicet*, Phaedromus sagt vielmehr: 'der zeigt dass er richtig Ordnung halten könnte unter den Sklaven, die es jetzt zu bunt treiben'." Nam iure textum traditum defendere recteque interpretari mihi videntur RIBBECK („seine Weisung ist ganz treffend; wenn er nur zu commandiren hätte!") et LEO, qui comparat Poen. 550 [1]) et Pseud. 976. Conferas etiam Curc. 321, Pseud. 749, 997, Cist. 734, Stich. 112, Cas. 668.

Restat, ut nonnulla de GOETZII suspicione quadam

1) Hic versus deletur a LANGENO.

dicam, quae ex eius opinione de vs. 299 sq. manavit. Quia enim in versibus proxime praecedentibus de rebus agatur, quae plane cum spectatorum sententiis congruant, Phaedromi vituperationem minus aptam ratus, cum contra vs. 280—287 minas contineant confidentiae arrogantiaeque plenas, ad quas Phaedromi verba aptissime referri possint, admodum verisimile iudicat vs. 288—297 posteriore tempore additos esse. Opinionem suam hac re confirmari putat, quod priores octo versus sine dubio ex Graeco exemplari sumptos esse arbitratur atque etiam vs. 299 sqq. tales esse, ut saltem obstet nihil quominus, quod ad summum attineat, ex Graeco exemplari versos esse statuamus, contra vs. 288—297 continere res Romanas [1]). Quam rationem licet vere Plautinam esse concedat, tamen existimat comparatis aliarum fabularum locis illos versus tales esse, ut suspicionem moveant; nostrum enim locum comparat cum Epid. 229 et Most. 274, quorum rationem simillimam esse iudicat: „die eine Gedankenreihe beginnt mit Tum isti Graeci, die andre mit Tum isti qui: ganz ähnlich ist Ep. 229 Quid istae quae u. s. w. und Most. 274 Nam istaec veteres u. s. w. Nun aber sind die Verse Most. 274 ff. kaum an ihrer Stelle, wie schon Ladewig annahm: wahrscheinlich sind sie gar nicht plautinisch, ebensowenig wie Ep. 229 ff." Quamquam tales loci per se quisque perpendi spectarique debent neque multum probat, siquis nonnullos affert locos insiticios, qui quodammodo eius, de quo agitur, similes sunt, tamen ad nostrum quidem locum parum faciunt ii, quos confert Goetz, quippe

1) Etiamne locus de servis ludentibus in via?

quorum alterum, Ep. 229 sqq., spurium esse satis manifestum sit, de altero autem, Most. 274 sqq., minime idem sit statuendum, cum optime contextui conveniat.

Ultimum eius argumentum hoc est: quaecunque de Graecis dicantur multo magis in posterius tempus convenire quam in Plautinum. Quod minime viro docto concedo; nam ex ipsis Plauti fabulis apparet necessario accipiendum nobis esse magnam saltem spectatorum partem Graece scivisse; quod nisi ita esset, multa non intellexissent; atque si multi Romani Graece sciebant, sequitur ut tum temporis Romae essent Graeci, qui linguam suam docerent. Nescio igitur, an nostro loco magis sit cogitandum de Graecis praeceptoribus, qui sapientiam suam venalem habebant atque in via hominibus praetereuntibus offerebant (cf. vs. 291 obstant obsistunt), pulchrum honestumque esse multa scire aliaque eiusmodi clamantes (cf. „cum suis sententiis") quam de philosophis; notum enim est Graecam philosophiam Romam introductam esse dici a Carneade Diogene Critolaoque, qui a. 155 ab Atheniensibus legati Romam missi erant; quamquam ne ex hac quidem re effici debet non iam multo ante Graecos philosophos minus nobiles Romae fuisse.

Quid ergo facit Goetz? Abiudicat Plauto locum ut ipse profitetur vere Plautinum, idque hanc praecipue ob causam ut sustentet pravam versuum 299 sq. interpretationem. Nondum autem cuiquam eum persuasisse vidi neque persuasurum esse confido.

Post ea, quae disputavi non iam opus mihi videtur iis, quae disputat Ribbeck [1]), immorari: putat enim

1) l. l. p. 88 sq.

Digitized by Google

nondum cuiquam contigisse, ut locum in ordinem redigeret: „wie derselbe übrigens in Ordnung zu bringen ist, ob der Text mehr durch Zusammenziehung oder durch Erweiterung, oder durch beides zugleich, ob ferner durch Dittographieen, Glosseme und Umstellungen gelitten hat, ist eine andere Frage" (in praecedentibus vindicavit locum a Goetzio damnatum) „deren endgültige Entscheidung mir noch nicht gelungen scheint. In einer Schilderung, wie sie hier vorliegt, wird man sich eine gewisse Breite gefallen lassen müssen, wenn Einem nur nicht baare Tautologie und allzustörende Wiederholungen derselben Ausdrücke aufgedrängt werden. Ich würde z.B. keinen Anstoss an folgenden Versen nehmen:

288 *tum isti Graeci palliati capite operto qui ambulant,*
qui incedunt suffarcinati cum libris, cum sportulis,
291 *obstant, obsistunt, intendunt* (statt *incedunt*) *cum suis* [*sententiis;*
290 *tum qui* (statt *constant*) *conserunt sermones inter* [*sese drapetae,*
292 *quos semper videas lubentes esse in thermipolio,*
294 *tristes atque ebrioli abscedunt* u. s. w."

vs. 317 sqq. Parasitus fame cruciatus lamentatur sic:

Perii, prospicio parum,
Gramarum habeo dentes plenos, lippiunt fauces fame,
Ita cibi vacivitate venio lassis lactibus.

Pro *gramarum* libri habent *os amarum*. Sed neque ad versum hae quadrant syllabae et *os amarum* sensu carere iam dudum est intellectum. Tamen quod coniecit

Digitized by Google

KOCH[1]): *lacrumarum* merito damnavit BUECHELER[2]). Nam ex illo „lippiunt fauces fame" elucet parasitum vitia oculorum transferre ad eas corporis partes, quarum in edendo utimur opera. Voce autem quae est *lacrumae* nullum vitium oculorum indicatur. Omnino igitur probo BUECHELERI *gramarum*, quae vox, quamvis nusquam alibi apud Plautum legatur, merito a viro docto poëtae vindicata esse videtur. Plurium enim grammaticorum testimonia affert: NON. 119: „gramiae pituitae oculorum. Caecilius: 'grammonsis oculis ipsa, atratis dentibus'". PAUL. 96: „gramiae oculorum sunt vitia, quas alii glamas vocant". PHILOXEN.: „grama λήμη". PSEUDO-CYRILL.: „λήμη grama". Attulit praeterea Plin. Nat. Hist. XXV, 155: „crethmos agrios gramias (*alii libri* '*gremias*') tollit oculorum impositus". Cf. etiam PLACID. p. 467: „gramis, gremis, quae sunt pituitae oculorum". Quae autem forma, *gramae* an *glamae* (cf. Graeca γλαμυρός, γλάμων) an *gramiae* an *gremiae* vera esset, neque BUECHELERUS statuit neque ego in ullam partem disputo.

Qua emendatione recepta tamen ne nunc quidem omnia in integrum redacta esse censeo. Nam eandem ob causam, quare illud *gramarum* probo, sequenti versu librorum *lassis* improbandum esse arbitror. Etiam vocabuli *lactibus* epitheton aliquod requiro, quod proprie ad oculos pertineat. Neque dubito quin *luscis* sit legendum.

Verum quam vim hic habet *ita*? Notum est hanc particulam saepe adhiberi significatione causali[3]), quod

---

1) Emend. Plaut. p. VII.
2) Rheinisches Museum XXXV, p. 72 sq.
3) Vid. praesertim LANGEN 'Beiträge' p. 231 sqq.

Digitized by Google

etiam de nostro loco valere manifestum est. Tamen versu 319 dilucidum est non contineri causam versus praecedentis, sed versibus ambobus 318 et 319 rationem reddi versus 317. Tres parasitus commemorat causas, quare parum prospiciat: dentes pleni sunt gramarum, fauces lippae, luscae lactes. Quae cum ita sint, aut versus 318 et 319 transponendos esse existimo aut, quod magis mihi placet, pro *ita* scribendum *itaque*, hac vi, ut *ita* ponatur *ἀπὸ κοινοῦ*.

Digitized by Google

CAPUT V.

De particulae itaque apud Plautum usu.

De particulae *itaque* usu nonnulla hic observare mihi liceat: occurrendum enim est multorum virorum doctorum sententiae *itaque* saepe adhiberi pro *ita* vi causali. Sic Brix ad Mil. 108 annotat: „*itaque* einfach s o, durch s o l c h e Mittel, s. 1410. Rud. 369. 589; gewöhnlich vertritt es freilich im Anfang des Satzes die Stelle des emphatisch begründenden *ita* (= in d e m Grade, s o sehr) wie Epid. 83 f. *nisi suffulcis firmiter, Non potes subsistere:* itaque *in te inruont montes mali,* Aul. 414. Bacch. 242. Cist. 672. Pers. 481. 505. Poen. 200. 398. Stich. 276, ebenso Cic. somn. Scip. I 1"; et Langen [1]) habet haec: „höchst eigenthümlich, aber duch eine hinlängliche Anzahl von Beispielen geschützt ist der Gebrauch von *itaque* in der nämlichen Bedeutung (*dicit significationem causalem*), worüber man sehe Lorenz und Brix zu Mil. 108, ausserdem Lorenz im Philol. 32, 278; Ritschl wollte dafür *ita* herstellen". Etiam Leonium illud opinari inde apparet quod ad Bacch. 242 laudat annotationem Brixii ad Mil.

---

1) l. l. p. 232.

Digitized by Google

108. Singulos locos a Brixio allatos tractans demonstrare conabor perverse contendi *itaque* usurpari pro simplici *ita* notione causali:

Ep. 81 sqq.:

Quo in loco haec res sit vides,
Epidice: nisi quid in tete auxili est, absumptus es.
Tantae in te impendent ruinae: nisi suffulcis firmiter,
Non potes subsistere, itaque in te inruont montes mali.

Itaque hic nihil aliud est quam *et ita*; duae sunt causae, cur Epidicus, qui se ipse alloquitur, se absumptum ducat; primum quod tantae in ipsum impendeant ruinae; tum quod ita inruant montes mali. Quae interposita sunt „nisi suffulcis firmiter, non potes subsistere" hoc dicta sunt sensu: „ut non possis subsistere, nisi suffulcias firmiter".

Aulul. 412 sqq.:

Scio quam rem geram: hoc
Ipsus magister docuit.
Neque ligna ego usquam gentium praeberi vidi pul-
[chrius,
Itaque omnis exegit foras, me atque hos, onustos
[fustibus.

Hic quoque *itaque* intellego *et ita* atque *itaque* incipit sententiam, quae figura *ἀπὸ κοινοῦ* praecedentibus adiungitur. Indicat Congrio, quid magister facere se docuerit: „ita" ait „nusquam vidi pulchrius praeberi ligna itaque nos onustos fustibus foras exegit". *Neque—que* stat pro *neque—et*.

Bacch. 241 sq.:

Adibo hunc, quem quidem ego hodie faciam hic arietem
Phrixi, itaque tondebo auro usque ad vivam cutem.

Digitized by Google

Chrysalus senem vult facere arietem Phrixi et ita i. e. 'et illius arietis instar' eum tondere.

Cist. 671 sq.:

Nisi quid mi opis di dant, disperii, neque unde auxi-
[lium expetam habeo.
Itaque † petulantia mea me animi miseram habet.

Quamquam vs. 672 corruptus videtur, tamen planum est eo non contineri causam praecedentium „neque unde auxilium expetam habeo". Eodem modo locum explico atque Aul. 414.

Pers. 480 sq.:

Hunc hominem ego hodie in trasennam doctis dedu-
[cam dolis,
Itaque huic insidiae paratae sunt probe.

Recte interpretatur Ussing: „et ita, ut hoc effici possit." Belgice vertendum est 'en dienovereenkomstig'. Si causa significaretur, praecedere debebat „confido me deducturum esse". Cf. Capt. 167 sqq.

Poen. 198 sqq.:

Inest amoris macula huic homini in pectore,
Sine damno magno quae elui ne utiquam potest.
Itaque hic scelestus est homo leno Lycus,
Quoi iam infortuni intenta ballistast probe,
Quam ego haud multo post mittam e ballistario.

Quomodo vs. 200 causam continere possit praecedentium, omnino me fugit. *Itaque* hic est particula concludentis: *ergo*, *igitur*. Servus dicit ero suo inesse maculam amoris, quae magno cum damno eluenda sit. Ergo — exspectas nunc aliquid dictum iri de ero, sed ἀπροσδοκήτως illud damnum transfertur ad lenonem, — leno scelestus i. e. 'miser' est.

Digitized by Google

Poen. 397 sqq.:

Obsecrat servus meretricem, ne irata sit ero aut, si id fieri non possit, ut se suspendat cum suo ero lenone totaque cum familia:

Nam (*ait*) mihi iam video propter te victitandum [sorbilo,
Itaque iam quasi ostreatum tergum ulceribus gestito
Propter amorem vestrum.

Fieri non potest ut vs. 398 causa indicetur eorum, quae dicuntur versu praecedenti. Uterque versus causam significat, cur illud detur consilium, quod hic proponitur. Pro *nam* prioris versus etiam rectum foret *ita.*

Stich. 274 sqq.:

Mercurius, Iovis nuntius qui perhibetur, numquam [aeque patri
Suo nuntium lepidum attulit quam ego nunc meae [erae nuntiabo:
Itaque onustum pectus porto laetitia lubentiaque
Neque lubet nisi gloriose quicquam proloqui profecto.

Itaque hic item atque Poen. 200 particula est concludentis: Pinacium erae suae lepidissimum affert nuntium; ergo admodum est laetus atque gloriose omnia vult proloqui.

Cic. Somn. Scip. I, 1:

Grates, inquit, tibi ago, summe Sol, vobisque reliquis, caelites, quod, antequam ex hac vita migro, conspicio in meo regno et in his tectis P. Cornelium Scipionem, cuius ego nomine ipso recreor: itaque numquam ex animo meo discedit illius optumi atque invictissimi viri memoria.

Alii libri habent *itaque*, alii *ita*. Utrumque defendi posse

Digitized by Google

mihi videtur. Si probamus *ita*, Masinissa qui fiat ut ipso nomine Scipionis recreetur exponit; sin autem *itaque*, quodammodo habemus figuram ἀπὸ κοινοῦ, et hoc quidem modo ut, ubi exspectentur duae sententiae relativae, pro altera, sicut saepe fit et in sermone Graeco et in Latino, exstet enunciatio primaria. Eodem rediret res, si sic loqueretur: grates tibi ago, quod conspicio Scipionem, cuius nomine ipso recreor et cuius optimi atque invictissimi viri memoria numquam ex animo meo discedit, vel, ut explicetur figura ἀπὸ κοινοῦ: grates tibi ago quod conspicio Scipionem: ita eius nomine ipso recreor itaque e. q. s.

Restat adhuc Pers. 503 sqq.:

Ego valeo recte et rem gero et facio lucrum,
Neque istoc redire his octo possum mensibus,
Itaque hic est quod me detinet negotium.

Hic revera vs. 505 causa affertur versus praecedentis, sed propterea particula *itaque* emendatione egere mihi videtur: aut scribendum esse *ita* aut *namque* censeo. Aliquando *namque* in *itaque* corrumpi potuisse, minime, ut opiror, incredibile est.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Curculionis actu secundo ad finem perducitur disputatio.

vs. 329 sqq. Narrat Curculio itineris eventum:

> Postquam tuo iussu profectus sum, perveni in Cariam,
> Video tuom sodalem, argenti rogo uti faciat copiam.
> Scires velle gratiam tuam, noluit frustrarier,
> Ut decet velle hominem amicum amico, atque opitularier:
> Respondit mihi paucis verbis, atque adeo fideliter,
> Quod tibi est item sibi esse, magnam argenti inopiam.

Prorsus me fugit, quomodo Goetzio in mentem venire potuerit probare sententiam Guyeti, qui delet lepidissimos versus 331 sq. Nescit vir doctus, an tribuendi sint saeculo secundo vel tertio ineunti [1]). Rectissime versus defendit Ribbeck [2]): „man sah ihm an, dass er es gut mit dir meine: er wollte dich nicht täuschen, wie es sich geziemt, dass der Freund dem Freunde willig und hülfreich ist; und so antwortete er kurz und gut, echt

1) Praef. XXII ann. 3.
2) l. l. p. 85.

Digitized by Google

freundschaftlich, nach dem Grundsatze 'omnia amicorum communia', dass er denselben Überfluss an Geldmangel habe wie du".

vs. 337. Curculio, postquam comperit nihil se argenti accepturum esse, abit ad forum aegre ferens frustra se venisse. Sed plane inexpectata incidit res. Quam sic narrat:

Forte aspicio militem.
Aggredior hominem, saluto adveniens.

Vidit Seyffert [1]) inter hos versus aliquid intercidisse: „Curculio de milite, in quem in Caria se incidisse dicit, ita verba facit ut de homine et sibi et Phaedromo notissimo. Cuius militis, ut hodie fabula in libris legitur, nusquam ante hunc locum fit mentio. Fieri sane potuit in eis quae inter II. 2. 23 et 24 excidisse recte videtur Fleckeisenus sensisse; sed etiamsi facta est, tamen vix ita, ut Phaedromus adfuerit: nam qua alia de causa militis absentis Phaedromo praesente mentio facienda erat, nisi ut illum Planesium amicam destinasse certior fieret? De hac autem re Phaedromum nihil compertum habere inde apparet quod II. 3. 78 militem in alea Planesium ut amores suos invocavisse audiens maxime miratur. Neque igitur videtur Curculio sine alia nota, ne nomine quidem addito, ut notum hominem posse commemorare. Quae si recte disputata sunt, aliquid inter versus 58—59 excidisse necesse est, fuisse autem potest tale quid fere:

militem
[Therapontigonum, qui anno erat hic: novistin? — Novi
et scio]".

1) Stud. Plaut. p. 15 sq.

Digitized by Google

Nonnulla excidisse inter vs. 337 et 338 assentior viro docto, nullam autem lacunam esse inter II. 2. 23 et 24 supra probare conatus sum. Ergo nunc primum militis mentionem fieri persuasum mihi est. Tamen Seyfferti supplemento textus nondum in integrum redactus esse mihi videtur. Versu enim 340 Curculio militi roganti, quamobrem venerit in Cariam, respondet: „animi causa". Cur veram non dicit causam? Et cur vs. 342 sq. Therapontigono interroganti, Cappadocemne noverit, respondet, quasi nihil ad se attineat („annuo visitasse")? Quamquam fortasse fieri potuit, ut de vera itineris causa ideo militem non edoceret, quia huius nihil id scire referret, tamen multo probabilius esse puto illum id fecisse, quoniam sua Phaedromique interesse arbitraretur: Therapontigono, opinor, utpote qui Planesium amaret, diffidebat. Quod in lacuna expressum exstitisse censeo hoc modo: „militem illum, scis iam, quem saepius lenonem adeuntem vidimus et quem Planesii causa id facere suspicabamur". Quin hoc statuamus, nihil nimirum obstat, quod vs. 357 Phaedromus audiens militem Planesium invocasse, exclamat: „meosne amores?" Hucusque militem tantum tamquam rivalem metuebat, nunc demum haud inanem illum esse timorem pro certo cognoscit.

vs. 364 sq. Narravit parasitus, quomodo militi anulum subduxerit atque deinde se proripuerit. Tum sequuntur haec:

PH. Laudo. C. Laudato, quando illud quod cupis [effecero.
Eamus nunc intro, ut tabellas consignemus.

Digitized by Google

BRIX [1]) ante vs. 364 lacunam statuit, quia parasitus nondum dixerit, quid anulo facere vellet, neque Phaedromus dicere possit „laudo", quippe qui nondum quicquam de parasiti consilio audiverit, cum tamen vs. 365 et 369 sq. hoc consilium significetur. GOETZ, qui igitur censet „laudo" optime ad praecedentia referri posse, nonnulla desiderat post vs. 364; facit ergo cum BRIXIO arbitranti nonnullos periisse versus, quibus parasitus consilium suum exposuerit. LEO scaenam decurtatam ducit. Equidem nihil omnino desiderari puto. Nam nonne plane perspicuum esse debet Phaedromo, quid parasiti sit consilium? Nonne Curculionem narrantem audivit et inter lenonem ac militem convenisse, ut qui tabellas attulisset militis obsignatas anulo, mulierem acciperet, et se anulum militi subduxisse? Nonne unusquisque fabulam legens nunc statim intelligit, quid parasitus in animo habeat? Num quisquam spectator de eius consilio incertus fuerit? Phaedromus se perspexisse significat dicens: „laudo". Quomodo autem GOETZ putare possit fieri potuisse, ut Curculio Phaedromo, qui laudatione sua ostendit consilium se perspexisse (omni enim sententia sana „laudo" careat, nisi hoc accipiamus), tamen hoc explicaret, me praeterit. Curculio laudandi nondum tempus esse existimat: „laudato" ait „quando illud quod cupis effecero. Nunc eamus intro (i. e. 'nunc potius intro eamus, laudandi postea erit tempus'), ut tabellas consignemus".

1) Neue Jahrbücher 1870, p. 765.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De Curculionis actu tertio.

vs. 371 sqq. Actu tertio Lyco trapezita in scaenam prodit de suis secum rebus ratiocinans:

Beatus videor; subduxi ratiunculam,
Quantum aeris mihi sit quantumque alieni siet:
Dives sum, si non reddo eis quibus debeo.
Si reddo illis quibus debeo, plus alieni est.
Verum hercle vero cum belle recogito,
Si magis me instabunt, ad praetorem sufferam.
Habent hunc morem plerique argentarii,
Ut alius alium poscant, reddant nemini,
Pugnis rem solvant, si quis poscat clarius.
Qui homo mature quaesivit pecuniam
Nisi eam mature parsit, mature esurit.
Cupio aliquem emere puerum, qui usurarius
Nunc mihi quaeratur. Usus est pecunia.

In his versibus quamvis satis multa insint obscura, non tamen gravibus mihi laborare morbis videntur, quos plerique hic suspicati sunt. Vs. 374 non ita, ut traditus est, a Plauto profectum esse manifestum est propter ultimi pedis spondeum. Illum ergo multi viri docti, Bo-

Digitized by Google

THIUM secuti, in quorum sunt numero GOETZ, FLECKEISEN, RIBBECK (qui versum appellat „ein metrisches Ungeheuer, welches ein spätrer Glossator eingeschwärzt") [1]), SOLTAU [2]), LEO, omnino eiciunt, sed RIBBECK quidem ita, ut unum pluresve ab eo versus loco suo motos esse putet. SOLTAU autem versu deleto nihil desiderari arbitratur. Alii viri docti sanare versum conati sunt. Quorum USSING quidem admodum fuit infelix, qui verba „plus alieni" transponendo versum integrum reddidisse sibi visus est. De qua coniectura, imprudentissime sane proposita, quoniam viri docti Germani iam magno odio in eam invecti sunt [3]), plura non dicam. Iure tamen USSING observasse videtur „vere rem aestimanti alterum dilemmatis membrum abesse non posse." Quod etiam vidit NIEMEIJER [4]), qui sic disputat: „vor v. 375 vermisst man bei jener athetese den gedanken, dass der banquier durch zurückgabe der bei ihm deponirten gelder, in welchen eben sein reichtum besteht, ein bettler werde. 'ich bin reich, wenn ich nichts zurückzahle; zahle ich zurück, so bin ich der ärmsten einer', etwa:

---

1) l. l. p. 85.

2) Curculionis Plauti Actus III p. 5.

3) Vid. RIBBECK: „denn von der herrlichen Metrisirung des Ausgangs (*alieni plūs est* statt *plus alieni est*) können nur Zöglinge der Kopenhagner Philologenschule Gebrauch machen." SOLTAU: „nemo, spero, exceptis Hauniensibus iambicos senarios probabit, si sextus pes spondeus est, sive librorum lectionem secutus 'plūs ălĭenī͡ est' sive Ussingii ingeniosa coniectura laudata 'ălĭēnī plūs est'." LANGEN 'Plautinische Stud.' p. 286: „doch den schönen Senar, welchen Ussing durch eine einfache Umstellung herausbringt, von der er sich wundert, dass Bothe und Fleckeisen nicht darauf gekommen seien: si réddo illis quibus débeo, aliení plus est, wollen wir den dänischen Metrikern überlassen, in Deutschland können wir ihn nicht gebrauchen."

4) Neue Jahrbücher 1880 p. 428.

Digitized by Google

dives sum, si non reddo eis quibus dehibeo,
si reddo, ego *o m n i u m* *h o m i n u m* *sum* *p a u p e r r u-*
[m u s.

ein übergeschriebenes scholion hatte das richtige verdrängt."

Quam viam ingrediendam esse licet ego quoque censeam, tamen plura versus verba Plauto vindico: scilicet „si — debeo", excepto fortasse *quibus*, pro quo legere malim *quae*; tantum „plus alieni est" scholion mihi videtur; primitus exstitisse arbitror: „ut tum res se habet?" Ad quae verba facile fieri potuit ut scholiasta aliquis ascriberet: „plus alieni est." Ipse Lyco se interrogat, qua, si reddat, conditione futurus sit. Per breve temporis spatium cogitare incipit (cf. versus sequentis „cum belle recogito"), ex qua deliberatione subito expergiscitur cum valida vehementique exsecratione: „verum hercle vero." Non, ut opinor, *magis*, quod in sequenti legitur versu, nos ut lacunam statuamus movere debet; est ille comparativus, qui gradum nimis magnum indicat.

„Die volgenden 3 Verse", ait Ribbeck „377—379 *habent — clarius,* welche ganz objectiv von dem Faustrecht der Wechsler berichten, stehen ausser dem Zusammenhang und scheinen aus andrer Quelle der Parallelstelle beigeschrieben zu sein. Aber auch der Rest dieses Monologs macht den Eindruck vereinzelter Fäden eines aufgelösten Gewebes." De vs. 377—379 idem quod Ribbeck censet Leo, qui haec annotat: „aliunde ascripti; sermo sic procedit: poscentibus non reddam; si magis instabunt, apud praetorem solvam, ita rei parcam." Langen denique prorsus facit cum Goetzio, qui hoc dicit: „v. 375—381 ita a Plauto profectos esse non

Digitized by Google

credo, ut qui sententiae concinnitatem turbent: aut interpolatione aut lacunis laborant."

De versibus qui leguntur usque ad 376, opinionem meam iam proposui; contemplemur nunc versus sequentes. Ut initium faciam a vs. 377—379, de his non facio cum Ribbeckio Leonioque: non mihi videntur aliunde ascripti esse. Si creditores nimis molesti erunt, trapezita vult solvere apud praetorem. Quod facturus est, hac re defendit, quod alii argentarii idem faciunt. Quod attinet ad verba: „ut alius alium poscant" cf. vs. 682: „omnes mensas transiit", ubi revera Lyco fecisse dicitur, quod nostro loco plerosque argentarios facere dicit. Vs. 379 risus movendi gratia scriptum esse puto. Fingo enim Lyconem hominem esse levi infirmaque statura, et quare hoc arbitrer, infra dicam. Quod si verum est, si fingimus talem hominem illa verba dicere ostendentem manum compressam, versus risum movere potest. Sermo quidem sic procedit, ut dicit Leo, sed non turbatur versibus 377—379. Lyco ideo non vult reddere, quod parcere vult, ne veniat tempus, quo esuriendum sit; quod pronuntiat vs. 380 sq.; igitur hi versus apte praecedentibus annectuntur. Primum dicit se reddere nolle, deinde hoc consilium eo defendit argumento, quod ceteri plerique argentarii non aliter agant; tum significat, cur reddere nolit.

Sed ex duobus, qui nunc sequuntur, versibus 382 sq. nemini adhuc sanam sententiam expromere contigit; ne Ussingio quidem, qui leni iterum coniectura textum sanum reddidisse sibi visus est; pro *nunc* suadet ut legatur *ne*. „Lyconi" ait „servo opus est; eum emere cupit praesenti pecunia, ne si usuram solam eius habeat magnoque pretio conducat, pluris sibi stet quam si emat".

Digitized by Google

Quae recepta illa coniectura ex his versibus nullo modo extundi posse, manifestum est. Atque cur Lyco puerum emere cupit? Hoc taceri non poterat. Quamobrem ille emere cupiat, ego quidem scire mihi videor, neque puto eum id tacuisse, sed disertis verbis pronuntiasse, quae quoniam non in textu leguntur, interciderint necesse est. Versu enim 389 Curculio ipse se interrogat, quis ille sit homo, qui Aesculapium salutat. Cur autem salutat Lyco? Non satis mihi illustrare illud videntur quae dicunt Ussing vel Soltau, quorum ille annotat: „Lyco censendus est, quum dei aedem praeteriret, solitum ei honorem tribuisse", hic: „Aesculapium salutavit, quum templum illud celeberrimum Aesculapii prope Epidaurum, cuius mentio saepissime in scaenis prioribus erat (cf. v. 14. 204. 217) praeteriret". Nam si mos erat, ut praetereuntes templum Aesculapii deum salutarent, cur nihil huius rei ceteras fabulae personas facientes cernimus? Quidni nostro loco Curculio idem facit quod Lyco? Non igitur morem fuisse arbitror; ergo aliam causam esse oportet, cur Lyco deum salutet; quae causa non alia potest esse quam morbus. Eandem autem ob causam puerum eum emere cupere censeo. Verborum, quae perierunt, haec fere sententia esse debet:

> Cupio <autem> aliquem emere puerum, qui usurariis [1]) *nunc mihi provideat pecuniis; nam quoniam iam diu aegrotus sum, me procurare volo; iam nunc*

---

1) *usurariis* traditum est in I F. Fieri autem fortasse potest, ut *usurarius* vera sit lectio. *Usurarius*, sive adiective iunctum cum *puer* sive substantive adhibitum (cf. e. g. 'notarius') fortasse potest esse homo, qui curam habet usurarum. Si hoc legendum est, non mihi incredibile videtur vocem ambigue usurpatam esse, sicut Amph. 498 Alcmena Iovis dicitur „uxor usuraria" (cf. Soltau p. 8 ann. 2).

Digitized by Google

deum precabor, ut sanum me reddat; ubi puerum emero, data opera me procurabo; hic puer mihi prospicere debet ut res

Nunc mihi quaeratur: usus est pecunia.

Vs. 382 inserui *autem*, quod (per ligaturam scribitur aū) ante *aliquem* excidisse statuere non est temerarium; Lyco nondum statim parcere potest, quia emere cupit puerum.

vs. 386 sqq. Curculio, postquam se bene explevit, tabellis iam consignatis, ex Phaedromi aedibus prodit, ut consilium persequatur. Veste militari indutus est, alterum oculum fascia obligatum habet. Postquam etiam nonnulla verba ad Phaedromum intro clamavit ad significandum omnia bene eventura esse, haec secum loquitur:

Edepol ne ego hic med intus explevi probe,
Et quidem reliqui in ventre cellae uni locum,
Ubi reliquiarum reliquias reconderem.

Miratur Soltau [1]), „quod nemo perspexerit vs. 387 sq. non apte antecedentes excipere". „Exspectares:" ait „et reliqui in ventre *ne* cellae uni *quidem* locum ubi reliquiarum reliquias reconderem, vel si cum Gaio (1, 67 quia ne quidem civis Romanus est. 3, 93 ut ne quidem in Graecum sermonem .... proprie transferri possit) 'ne quidem' coniungere liceret: Ne quidem reliqui in ventre cellae uni locum etc."

Quod cur exspectandum esse putet Soltau, non video; immo mihi quidem magis parasiti videtur etiam loci paululum relinquere. Et quod Gaius *ne quidem* coniunxit,

---

1) l. l. p. 10.

Digitized by Google

hoc nihil valere ad Plautum dicto non opus est. Neque hoc Soltau admodum probabile ducere videtur; nam in promptu habet aliud quid, quod multo, ut ipse censet, sit verisimilius: scilicet servato *et quidem* lacunam ante versum statuendam esse. „Curculio" ait „fortasse spectatoribus narraverat, quae 'ventris stabilimenta' oblata essent, et deinde spem aperuerat, re bene acta aliam coenam sibi paratam fore. Tum iocose addere potuit 'et quidem reliqui in ventre cellae uni locum, ubi reliquiarum reliquias reconderem!' Quae si recte perspexi, etiam alia vestigia histrionis cuiusdam Curculionem decurtantis retractantis detexisse mihi visus sum". Non contendere dubito minime eum hoc recte perspexisse. Quamobrem tandem parasito memorare opus erat, quid edisset, cum iam Phaedromus vs. 323 dixisset, quae essent parata, quod insuper a Curculione vs. 366 iteratum est? Neque locus unius cellae relictus est „alii coenae", sed reliquiis. Cur porro *et quidem* sic non offendat Soltavium, cum, nisi lacunam statuit, in eo haereat, prorsus me fugit.

Versu sequenti:

Quis hic est, qui operto capite Aesculapium
Salutat? attat, quem quaerebam. sequere me.

exspectat Leo: „sed quis hic est". Verum est eiusmodi sententias, ubi quis conspicit aliquid inexspectatum, plerumque a *sed* incipere. Noster tamen locus histrioni sic agendus est ut non solum *sed* non desideretur, sed ne inseri quidem possit, quin totus corrumpatur. Curculio nonnulla secum locutus est, tum subito conspicit quempiam, qui quem quaerit ei esse videtur, per breve spatium miranti vultu eum intuetur; tum adhuc incertus dicit: „quis hic est e.q.s.?" Eodem res redit ac si diceret:

Digitized by Google

„estne hic ille, quem quaero?" Cf. Most. 444: „sed quid hoc? occlusa ianua est interdius", cum Stich. 308: „quid hoc? occlusam ianuam video."

Ad tollendum hiatum post *capite* alii aliter verba transponunt, verum quaecunque fit transpositio, semper aliquid molesti mihi restat. Quid miratur Curculio? Non quod trapezita astat capite operto; nam hic erat mos Romanis deos adorare capite operto [1]. Miratur se aliquem videre salutantem Aesculapium. Tamen noster versus, sicut legitur, eo nos adducit, ut putemus operto capite salutare aliquid esse insoliti. Exspectantur talia: „quis hic est, qui illic operto capite a s t a t et Aesculapium salutat?" Quae numeris aptans lego sic: „quis hic est, qui operto <astans> capite Aesculapium Salutat?"

Vs. 390 Ussing desiderat post *quem quaerebam* demonstrativam sententiam velut „ipsus est" aut „video". „Eius loco" ait „legitur *Sequere me*, quae interpretes puero alicui pedisequo dicta putant, talemque personam adesse etiam in nominibus scenae suprascriptis edd. quidam significant, quamquam eius nullum alibi vestigium invenitur nec omnino parasiti est pedisequum habere". Quod ad ultimum argumentum attinet, mire fefellit virum doctum. Curculionem hic non parasiti, sed liberti militis partes agere, quamobrem minime veri dissimile mihi videtur cum pedisequo eum prodire. Neque ita mirum existimo, quod nullum alibi huius vestigium invenitur, quoniam omnino quae faciunt personae tacitae parum animadvertimus. Quomodo autem Soltau [2], quamquam

1) Vid. Becker-Marquardt IV, p. 466.
2) l. l. p. 12.

Digitized by Google

refellit Ussingium, concedere possit verba 'sequere me' „a grammatico fortasse inseri potuisse, cum pedisequi nullum alibi vestigium exstet", non intelligo; minime illa verba grammaticum redolent. Cum porro arbitrer post interrogationem: „quis hic est, qui Aesculapium salutat?" optime dici posse: „attat, quem quaerebam", i. e. 'is, quem quaerebam', omnia recte se habent. Demonstrativa sententia omnino opus non est, quamquam huc non facit quem affert Soltau versum 610: „salvos sum: eccum quem quaerebam. quid agis, bone vir?" Nam hic illa demonstrativa sententia, quam desiderat Ussing, inest in *eccum*.

vs. 454 sqq. Parasitus trapezitae persuasit se a milite missum esse. Qui sequi eum iubet:

Sequere hac, te absolvam qua advenisti gratia.

Tum sequuntur haec:

Atque eccum video. leno, salve. CA. Di te ament.
L. Quid hoc quod ad te venio? CA. Dicas quid velis.
L. Argentum accipias, cum illo mittas virginem.
CA. Quid quod iuratus sum? L. Quid id refert tua,
Dum argentum accipias? CA. Qui monet quasi adiuvat.
Sequimini. CV. Leno, cave in te sit mora mihi.

In his quoque versibus viri docti retractatoris manum agnovisse sibi videntur. Quos quid in iis offendat, Leo sic paucis verbis annotat: „finis scaenae a retractatore adsutus, cf. Goetzius in act. Lips. 6, 278 sq.; pendet v. 455 lenone non memorato, nimis concisi 456. 457, non intelligitur 458, cum iusiurandum Phaedromo datum ignoremus (cf. Ribbeckius rel. soc. Lips. 1879, 81)". Versum 455 „atque eccum video" non sic sequi posse

Digitized by Google

versum praecedentem testibus Goetzio et Soltavio iam perspexit v. d. E. Ballas [1]). „'Atque eccum' tum in usu est, si is, cuius mentio paullo ante facta est, modo adspicitur" (Soltau l. l. p. 30). Quod quoniam hic non fit, nonnulla intercidisse apparet. Tamen non credo unum tantum versum periisse, immo totum lenonis monologum. Neque enim admodum verisimile mihi videtur trapezitam, qui Aesculapium salutandi causa prodiit, tantam pecuniam, quanta miles virginem emerat, secum habuisse. Cum igitur dicit: „sequere hac", parasitum domum vel ad mensam se sequi iubet. Postquam abierunt, lenonem e fano prodiisse de suis secum rebus loquentem fingo. Quae verba si servata essent, plura, quae nunc obscura sunt perspicua fuisse futura persuasum mihi est: tum neque iam quo illae decem spectent minae, quas vs. 529 leno ab argentario poscit, in tenebris lateret, neque coniciendum esset, quid illud sibi vellet iusiurandum, quod alii putant datum esse militi, alii Phaedromo, neque denique nostri loci brevitas offenderet. Difficile nimirum est disertis verbis dicere, quid illa lacuna continuerit, sed sic fere rem fingo: leno e fano prodiit secum loquens de morbo et ipse se interrogans, affligatne se fortasse deorum ira. In memoriam redit quoties iam periuraverit, porro quid facturus sit, ut melius sibi fiat, demonstrat. Postremo suspicor prompsisse eum consilium argentarium adeundi, qui pro nescio qua re decem minas sibi deberet. Quod ubi dixit, ipse trapezita, qui interea rediit, procedit cum parasito loquens indicansque, ubi habitet leno; ultima eius verba talia fere fingo:

---

1) Gramm. latin. spec. p. 30.

Digitized by Google

<Sequere hac ad lenonem, habitat his in aedibus>
Atque eccum video.

Ut iam dixi, controversia est inter viros doctos, quo spectet illud iusiurandum, quod leno impedimento esse dicit, quominus faciat quod rogat argentarius. Ad quam rem diiudicandam proficiscendum esse puto a vs. 566, ubi leno adversus militem gloriatur se fecisse quod iuratus est. Quid autem fecit vel se fecisse arbitratur? Arbitratur se virginem tradidisse ei, qui a milite missus sit. Unde necessario sequi existimo lenonem militi dedisse iusiurandum se virginem non alii venditurum esse. At quomodo hoc congruit cum vs. 458? Unum tantum pro certo statui posse opinor: leno trapezitae roganti, ut mittat virginem cum comite suo, obiciens: „quid quod iuratus sum?" ignorat illum argentarii comitem nuntium putari a milite missum, existimat aliquem alium esse ex iis, quorum res pecuniariae a Lycone administrantur. Ergo consulto poëta tam brevis hic est, consulto lenonem non facit rogantem, quis ille sit, quocum ut virginem mittat rogatur. Tum praesertim illa brevitas lepida est, si sumimus lenonem paulo ante metuentem iram deorum consilium pronuntiasse iusiurandum militi datum servandi. Pecuniam autem, quam Lyco ei praetendit, conspiciens neque suspicans hominem a milite missum esse, statim consilii obliviscitur neque, quippe quod nihil curet, rogat, quis ille sit homo, sed tamen religione quadam anxius dubitanter obicit: „quid quod iuratus sum?" Sed ut hoc omittat nil opus est praeter pauca illa Lyconis: „quid id refert tua, dum argentum accipias?" Nihil nimirum ad rem pertinet, utrum Lyco, qui in emenda virgine affuit (cf. vs. 434), etiam in illo dando iureiurando

Digitized by Google

affuerit, an hoc datum sit absente Lycone; nam etiamsi affuit, facile fingi potest illud eum nil curasse, tamquam lenonis iusiurandum, quod nullius sit momenti, neque mirum illius ei nostro loco in mentem non venire.

Leno quodammodo se excusat dicendo: „qui monet quasi adiuvat". Curculio veritus ne leno molestias paret, monet eum ut caveat: „leno, cave in te sit mora mihi".

Sicui mirum videtur lenonem de milite non cogitare, moneo ipsa Lyconis verba hoc efficere debere. Haec quoque consulto sic ambigue dicta esse manifestum est. Quod nisi ita esset, exspectaretur nimirum Lyconem dicturum esse: „hic est nuntius militis, venit ut abducat Planesium". Porro quidni lacuna illa aliud quid continuerit, quod si notum haberemus, nemo iam loco nostro offenderetur, e. g. versus aliquot quibus leno secum loquens de Planesio dicat plures esse, qui eam emere cupiant, tum trapezitam appropinquantem conspiciens cum ignoto exclamet: „video trapezitam cum ignoto, sine dubio denuo adducit aliquem, qui vult emere Planesium"?

Loci vis comica haec est, quod leno iusiurandum servat, putans se fidem mutare. Domi autem certior fit hominem nuntium esse militis. Ideo postea vs. 566 gloriari potest se fidem servasse, quae verba revera risum movere possunt, si fingimus lenonem ea pronuntiare tali vultu, quasi numquam periuraverit, cum hoc certe iusiurandum servaverit quidem, sed imprudens insciusque.

Quod Goetz [1]) de iureiurando Phaedromo dato hic agi credit, iam refellit Ribbeck [2]), Phaedromi querimoniam

1) Dittographien im Plautustexte, Acta Societatis Philologae Lipsiensis VI, p. 281.

2) l. l. p. 81, ann. 2.

Digitized by Google

vs. 64 sq.: „neque quicquam queo Aequi bonique ab eo impetrare" documento esse admonens nihil ei cum lenone convenisse. Ex iis autem, quae supra proposui, apparet non mihi probari sententiam Ribbeckii, sic disputantis: „der Kuppler hat nur Einem geschworen, dem Therapontigonus, und zwar, dass er ihm nach Zahlung der stipulirten Summe das Mädchen überlassen, aber, wenn es sich herausstelle, dass sie eine Freigeborne sei, den vollen Kaufpreis, 30 Minen, durch den Wechsler an den miles zurückzahlen wolle (490 f. 667—669. 709 f.). Auf die Erfüllung des ersten Theils jenes Schwures, die Uebergabe des Mädchens, beruft er sich V. 566, natürlich ohne der wichtigen Clausel zu gedenken". Quod iusiurandum verbosius quam verisimilius foret. Atque quid verba, qualia sunt ista „iuro tibi me, postquam pecuniam solveris, tibi virginem traditurum esse" omnino significare possint, me quidem prorsus latet. Leno virginem vendens nimirum eam traditurus est; si non, cur eam vendit? Nullum est iusiurandum, cui ullus hic locus sit, nisi illud, quo iurat leno se virginem alii non venditurum esse. Quod ad posteriorem partem iurisiurandi Ribbeckiani attinet, id disertis verbis leno promisisse dicitur, non iurasse.

Iam supra conieci lacunam, de qua egi, aliquid continuisse de decem illis minis, quae saepius in nostra fabula commemorantur; quae autem illarum sit ratio, in tenebris latet. Leo ad vs. 382 sq. annotat eas fortasse pertinere ad pueri emptionem. Quod mihi non probari ex iis elucet, quae supra de illis versibus disputavi, ubi demonstrare conatus sum Lyconem Aesculapii salutandi causa in scaenam prodiisse. Sed et alia mihi argumenta sunt,

Digitized by Google

cur illud admodum veri dissimile mihi videatur: primum pueri emptio in fabulam inserta actionis unitatem gravius perturbasset, quam ut a poëta eiusmodi aliquid commissum esse probari mihi possit. Deinde, si Leonium sequimur, non intellego vs. 525 sq.: „istas minas decem, qui me procurem, Dum melius sit mihi, des". Quid enim tum significare debebit additamentum „qui me procurem, dum melius sit mihi"? Nonne, si Lyco pueri emendi causa eum adiisset nequedum, postquam de emptione convenisset inter eos, pretium solvisset, leno pecuniam poscens hoc sermone usus esset: „istas minas decem, quas mihi debes, des"? Atque quomodo is, qui modo triginta minas accepit, sic loqui potest nisi certam quandam ob causam? Statuendum igitur est lenonem antea declarasse, quid illis triginta minis facere vellet; fingere e. g. possumus dixisse eum se illa pecunia uti velle ad quaestum amplificandum, simul propter quam rem trapezita decem minas sibi debeat commemorans. Quae autem res haec sit, difficile nimirum est pro certo statuere; maxime verisimile mihi videtur lenonem antea, ut se procurare posset, per trapezitam aliquid vendidisse.

Verum alio quoque loco decem minarum fit mentio, quarum ratio non congruit cum aliis fabulae locis. Versibus enim 343 sq. Curculio Phaedromum certiorem facit se militem audivisse narrantem se de lenone emisse „virginem Triginta minis, vestem, aurum; et pro is decem coaccedunt minae". Huius igitur loci rationem si habemus, pretium est quadraginta minarum; ceteris autem locis de triginta minarum pretio sermo est: vs. 492, 535, 666. Et hanc ob rem et ob „orationem pessimam" Ussing vs. 344 delet. At illo deleto versu neque vs. 345

Digitized by Google

verba „dedisti tu argentum?" tam apta mihi videntur quam si in praecedentibus pretium commemoratur, et hoc ipsum pretium commemoratum desideratur. Illam autem „orationem pessimam" equidem tantum in posteriori versus parte deprehendo: „et pro is e. q. s." Quae verba tam languide praecedentibus adiiciuntur, ut originem debere videantur manui interpretis [1]), qui explicare voluit, quo vs. 525 decem minae spectent. Atque illa verba in margine ascripta postea genuina verba, e. g. talia fere: „omne quidquid habet meumst" (cf. vs. 488) e textu expulerunt.

---

1) Verbum *coaccedunt* non ideo me offendit, quod alibi non exstet, sed praepositio *co-* plane sensu vacua est. *Coaccedere* (cf. *coaddere*) aptissime dici potest, si prius aliae res accedere dictae sunt, quod nostro loco non fit.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De Curculionis quae dicitur parabasi. Topographica.

IV, 1. Quae nunc sequitur scaena, in tota palliata unica exstat, neque iniuria viri docti eam compararunt cum parabasi antiquae comoediae. Prodit enim choragus ad spectatores se convertens verbis ad fabulae progressum nihil pertinentibus. Scaena praesertim topographis notissima est, quoniam de multis urbis Romae locis indicia habet haud parvi momenti. Totam exscribam, tunc dicam, quid de singulis censeam:

Edepol nugatorem lepidum lepide hunc nactust Phaedromus.
Halophantam an sycophantam magis esse dicam nescio.
Ornamenta quae locavi metuo ut possim recipere;
Quamquam cum istoc mihi negoti nihil est: ipsi Phaedromo
Credidi; tamen asservabo. Sed dum hic egreditur foras,
Commonstrabo, quo in quemque hominem facile inveniatis loco,
Ne nimio opere sumat operam siquem conventum velit,
Vel vitiosum vel sine vitio, vel probum vel improbum.
Qui periurum convenire volt hominem ito in comitium;

Digitized by Google

Qui mendacem et gloriosum, apud Cloacinae sacrum.
Ditis damnosos maritos sub basilica quaerito.
Ibidem erunt scorta exoleta quique stipulari solent,
Symbolarum collatores apud forum piscarium.
In foro infimo boni homines atque dites ambulant,
In medio propter canalem, ibi ostentatores meri;
Confidentes garrulique et malevoli supra lacum,
Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam
Et qui ipsi sat habent quod in se vere possit dicier.
Sub veteribus, ibi sunt qui dant quique accipiunt
[faenore.
Pone aedem Castoris, ibi sunt subito quibus credas
[male.
In Tusco vico, ibi sunt homines qui ipsi sese venditant,
In Velabro vel pistorem vel lanium vel haruspicem
Vel qui ipsi vortant vel qui aliis ut vorsentur prae-
[beant.
Ditis damnosos maritos apud Leucadiam Oppiam.
Sed interim fores crepuere: linguae moderandumst
[mihi.

Plures in his versibus insunt difficultates. Iam statim secundi versus prima vox multas viris doctis peperit molestias. Meras nugas in voce interpretanda veteres praebent grammatici. Sic Nonius p. 120, 8 habet haec: „halophantam ut sycophantam hominum genus nequam quod ob suenda mendacia miserrima mercede conducitur. Plautus: ‘halofantam aut sycophantam magis esse dicam’ et alius nobilitatis obscurae ‘halophantam mendacem velim’”; Festus Pauli p. 101, 18: „Halapanta significat omnia mentientem ab eo quod halet omnia. Ἅλην enim Graeci τὴν πλάνην, id est fallentem, appellant”. Neque

Digitized by Google

posteriore tempore vox melius explicata est. Citabo SALMASII annotationem in editione GRONOVIANA: „recte se habet *Halophanta*. Non reperitur tamen hoc nomen apud Graecos, sed fictum est a comico, ut olim bene *Scaliger* censuit, ab habitu marino. Ἁλοφάντης, ut συκοφάντης...... ἁλοφάντης maritimus est sycophanta cum habitu thalassico". At nunc quae loci sit festivitas, intellectu difficile est. Etiam frustra facetias quaero in explicatione, quae datur in GEORGESII Lexico, quamvis sit simplex: „ἁλοφάντης, scherzh. von Plautus nach συκοφάντης gebildet, also eig. d. Angeber der gegen das Verbot Salz Ausführenden; dh., wie sycophanta, übtr. = Hallunke, Schurke".

Admodum contortam longeque quaesitam interpretationem excogitavit USSING. Aeque ac SCALIGER vocem ad speciem personae referendam esse putat; non autem ad totum habitum; nam „parasitus non nautae, sed militis aut caculae personam induerat, nec mare pro nautico habitu dici debuit". Refert tantum ad capitis tegimentum, quod, cum parasitus peregre venire fingatur, causea fuerit. Hanc vir doctus poëtam comparasse censet „cum orbe, qui lunae aliisque stellis interdum circumfunditur, quem Graeci τὴν ἅλω dicebant". Ne hoc quidem commentum dignum videtur quod serio confutemus.

JORDAN [1]) arbitratur priorem vocis partem fortasse Latinam esse: „das Wort musz eine augenblicklich erfundene Parodie auf *sucopanta* enthalten und ist in seinem ersten Theil wahrscheinlich lateinisch". Huius vestigia premens FRIEDRICH [2]) verum repperisse sibi visus est:

1) Die Parabase im Curculio. Hermes XV, p. 125.
2) Die Parabase im Curculio des Plautus. Neue Jahrbücher 1891 p. 709.

Digitized by Google

„sycophanta *Φαίνει σῦκα*, halophanta *Φαίνει* 'halo'. dieser stamm *halo* findet sich bei Plinius n. h. XIX § 116 in *(h)alum*, was eine art knoblauch ist. wenn man bedenkt, welche rolle das *alium* im leben des Italiäners spielt und immer gespielt hat, so erkennt man sofort die richtigkeit der ableitung. was dem Attiker die feige, ist dem Römer das *alium*. entweder ist nun der wortwitz um seiner selbst willen da, oder *halophanta* würde, da es sich um *alium* handelt, etwa bedeuten *nasutus*, so dasz also der sinn von v. 463 wäre: 'ich weisz nicht, ob Curculio mehr schlau oder mehr schlecht ist; worüber ich mich mehr wundern soll, über seinen auskunftsreichen, erfinderischen geist oder über seine unverfrorenheit in der wahl der mittel'". Neque quae in hoc verborum lusu, si sua ipsius causa adhibetur, insit venustas perspicio, neque intelligo, quomodo *halophanta*, fac iam in priore vocis parte Latinum *halum* inesse, significare possit *nasutus*.

Non deesse interpretationes vides. Unum tamen commentum addam, verum illud quoque ut reiciam, licet probetur Leonio, Brandisii dico [1]), qui nomen a verbo *halapari* fictum esse probare conatus est. „Exstat" ait vir doctus „in plebeio sermone verbum alapandi, quod idem esse atque halapandi verbum, ad quod memoria Plautini illius versus recedere nobis videbatur, quis est qui neget? Roenschius in Musei Rhenani t. XXXIV, p. 632 *alapari* significatu *gloriari, se iactare* usurpari docet; quamquam falsa est viri doctissimi etymologia. et cognatione et significatu *halapari* proxime accedit ad germ.

---

1) Brandis. De Aspiratione Latina Questiones Selectae p. 15 sq.

Digitized by Google

gelf = lautes Tönen, Brüllen, Spott, Übermut, Hohn; *gelfen* = schreien, übermütig sein, prahlen. Et animadvertas quaeso ipsam hanc vim significationemque requirere Curculionis versum — nam eundem, quem halapantem an sucopantam recte dicat nescit, antecedente versu nugatorem lepidum dicit choragus, sequente vero versu 'ornamenta quae locavi metuo ut possim recipere' indicat sucopantae nomen (i. e. nostrum *Betrüger*) magis in illum quadrare sibi videri. opponitur ergo sucopanta hominum cuidam generi quod quamquam nugatorium bene dicitur tamen a deterrimo sucopantarum defraudatorumque genere differt; vide ne hunc sensum requirat versus: *einen blossen Prahler oder geradezu einen Betrüger nennen soll* e. q. s. isque quam maxime ad Festi Noniique voculae illius interpretationes accedat, qui halapantam mentientem interpretantur". Ut iam dixi, non facio cum viro docto. Vere quidem observavit sycophantam opponi alicui homini, qui, quamquam nugator recte dici potest, tamen differt a sycophantarum i. e. fraudatorem genere. Sed nego gloriatorem vel iactatorem („*Schreier*, *Prahler*") dici posse lepidum nugatorem, sicut Curculio vocatur vs. 463. Requiritur ergo nomen, quod et opponatur sycophantae nomini et perinde atque hoc (nam etiam sycophanta certis condicionibus lepidus nugator dici potest) quadret in lepidi nugatoris appellationem. Quod autem nomen hic magis aptum est quam Graecum ἁλοφάντης? Ἁλοφάντης is est, qui φαίνει ἅλας i. e. qui ostendit, qui in se habet leporem et astutiam (cf. Cas. 218 et Ter. Eun. 400). Luditur duplici significatione verbi φαίνειν. Vides explicationem admodum esse simplicem atque viros doctos longius quaesivisse quod erat prae manibus.

Digitized by Google

Post *halophantam* insero *autem* (cf. Nonii „halofantam aut sycophantam"): „Halophantam autem an e. q. s."; nam aegre desidero particulam adversativam. Simul sic tollitur hiatus.

Singulos deinde locos choragus indicat, ubi singula hominum inveniantur genera; periuri homines quaerendi sunt in comitio, i. e. apud praetorem; cf. Poen. 583 sqq.; mendaces et gloriosi apud Cloacinae sacrum: oratores hic spectari recte perspexit Urlichs [1]); nam Cloacinae sacrum prope rostra erat. Qui tum sequitur versus, hic quoque viris doctis multum laboris peperit:

Ditis damnosos maritos sub basilica quaerito.

Plerique enim viri docti pro certo habent primam basilicam Romae aedificatam esse a Catone Maiore censore a. u. c. 570, i. e. anno quo mortuus est Plautus. Quod si ita est, nimirum non est verisimile vs. 472 a Plauto scriptum esse. Sed videamus, quomodo res se habeat, quidque de ea traditum sit. Livius, cum in incendio, quod a. 544 pluribus simul locis circa forum ortum erat, narrando variisque locis qui illo comprehensi sint enumerandis, praevertendae lectorum admirationis causa, quod nullam basilicam comprehensam commemoret, in transitu dixit tum nondum basilicas fuisse, narrat XXXIX, 44, 7 Catonem basilicam fecisse. Haec sunt Livii verba: „Cato atria duo Maenium et Titium in lautumiis et quattuor tabernas in publicum emit, basilicamque ibi fecit, quae Porcia appellata est". Idem narrat Plutarchus in vita Catonis 19, ubi de eius adversariis haec memorat: „πολλὰ δὲ καὶ πρὸς τὴν τῆς Βασιλικῆς κατασκευὴν ἠναντιώθησαν, ἣν

---

1) Die Macella der Republik. Rheinisches Museum 1868 p. 85.

Digitized by Google

ἐκεῖνος ἐκ χρημάτων κοινῶν ὑπὸ τὸ βουλευτήριον τῇ ἀγορᾷ παρέβαλε καὶ Πορκίαν Βασιλικὴν προσηγόρευσε". Vides neque Livium neque Plutarchum dicere illam basilicam primam fuisse. Cum hac quaestione de prima basilica arte coniuncta est alia quaestio, de nomine basilicae et omnino de basilicarum origine. In qua investiganda non mirandum est multos viros doctos cogitasse de nota illa στοᾷ βασιλείῳ, quae Athenis fuit. Ipsa enim nominis similitudo illuc adducit. Verum ab iis, qui rem accuratius explorarunt, illam στοάν semper βασίλειον vocari, numquam βασιλικήν observatum est. Porro quoniam neque στοᾶς βασιλείου neque basilicae Porciae notum est quae fuerit forma, admodum temerarium mihi videtur contendere illam huius exemplum fuisse. Exstat autem alia sententia, quae omnino probabilis mihi videtur, GILBERTI dico [1]), qui basilicarum originem in ipsa quaerit Roma. Non iniuria observat vocem *basilicus* frequenter apud Plautum obviam esse significatione „groszartig", „glänzend". Vid. Trin. 1030, Rud. 431, Pers. 29, 31, 462, 806, Pseud. 458, Capt. 811, Poen. 577, Epid. 56. Ex quibus locis manifesto apparet tum temporis illam vocem frequenter in ore populi versatam esse. Notum autem est iam antiquis temporibus circa forum Romanum porticus coniunctas cum tabernis exstitisse. Quid ergo magis est verisimile quam unam ex illis porticibus, quae inter ceteras excellebat pulchritudine atque splendore, a populo epitheton „basilicam" accepisse? Atque eiusmodi porticum quae splendore suo oculos in se converteret iam tum exstitisse,

---

1) Geschichte und Topographie der Stadt Rom im Altertum, III, p. 210 sqq.

Digitized by Google

quidni credamus? Iam supra vidimus Livium narrare anno 544 plura circa forum ambusta esse aedificia. Cum autem illum Livii locum viri docti me iudice non recte interpretentur, totus locus accuratius est tractandus. Est Liv. XXVI, 27: „Interrupit hos sermones nocte, quae pridie Quinquatrus fuit, pluribus simul locis circa forum incendium ortum. Eodem tempore septem tabernae, quae postea quinque, et argentariae, quae nunc Novae appellantur, arsere. Comprehensa postea privata aedificia; neque enim tum basilicae erant: comprehensae lautumiae, forumque piscatorium, et atrium regium". De Novis in septentrionali fori parte sitis viri docti inter se consentiunt. Minor est consensus de septem tabernarum ratione locoque. Alii enim putant argentariis opponi alias tabernas, quae non sunt argentariae, sed lanienae; aliis, ut Ritschelio [1]), persuasum est non opposuisse inter se Livium duo tabernarum genera, sed utrasque, quae hic commemorentur, tabernas esse intelligendas argentarias. Quod ad locum attinet: Ritschl et Urlichs [2]) septem easdem esse atque veteres eamque ob rem earum locum in australi fori parte fuisse censent, Jordan [3]) eas in septentrionalem partem relegat, Gilbert [4]) autem ad orientis solis partem. Ut ipse quid censeam dicam, ego non credo Livium duorum tabernarum ordinum mentionem facere, verum tantum unius: septem tabernas et argentarias, quae nunc Novae appellantur, unas easdemque esse. Nam in narranda proximi

---

1) Opusc. II, p. 389.
2) l. l. p. 84.
3) Topographie der Stadt Rom im Alterthum I, 2, p. 381.
4) l. l. p. 203 sq.

Digitized by Google

anni historia hoc Livius de censoribus refert [1]: „locaverunt inde reficienda quae circa forum incendio consumpta erant, septem tabernas, macellum, atrium regium". Macellum, quod hoc loco memoratur, idem esse atque forum piscatorium iam diu intellectum est. Lautumias non appellari inter reficienda non est mirandum magis quam quod tacetur de privatis aedificiis; illa quoque aedificia, quae in Lautumiis combusta erant, privata fuisse verisimile est. Sed quod non reficiendae locantur „argentariae, quae nunc Novae appellantur", id aliter explicare non possum, quam sic ut eaedem fuerint atque septem tabernae. Facere enim non possum cum iis, qui eas multis demum annis post refectas esse arbitrantur. Quod neque omnino ullam habet speciem veri, et si ita factum esset, Livius id non tacuisset. Hanc vero causam esse, cur Livius de iis taceat, quod privatae illae fuerint tabernae, nequaquam probari potest; vix enim credibile videtur in foro, quo loco magis publicus inveniri possit nullus, privatas exstitisse tabernas. Ut igitur me convertam ad opinionem eorum, qui putant eas non statim refectas esse, postquam Ritschl [2]) annum Novarum aedificatarum inter a. 545 et 570 statuendum esse probare conatus est, Urlichs [3]) ipsum annum ex Festi quodam loco indagasse sibi visus est. Legimus enim apud Festum p. 230 (Müll.): „(Plebeias tabernas no)vas vocant nos(tra aetate, ut dicunt V tabern)as esse, et septem ferun(tur olim fuisse. Plebeias appella)mus a genere magistratus. eas enim faciendas curaverunt M. Iunius Brutus, Q. Oppius

1) XXVII, 11.
2) l. l. p. 391 sq.
3) Rheinisches Museum V, p. 157.

Digitized by Google

Aediles pl." De quo loco sic disputat Urlichs: „so hat die Stelle, worin die Beziehung auf die septem tabernae schon von A. Augustinus vermuthet und seit Scaliger anerkannt worden ist, O. Müller dem Sinne nach richtig hergestellt. Nur dürfte Z. 2. statt *et*, welches Müller in *sed* ändern wollte, eher *etsi* zu lesen sein. Jedenfalls aber ist in der letzten Zeile der Vorname des Aedilen Oppius verschrieben und aus Livius zu verbessern. Denn da M. Iunius Brutus im Jahre 562 mit L. Oppius Salinator die Praetur bekleidete (Liv. XXXV. 24.) wird er auch im Jahre 560 mit ihm zusammen Aedil gewesen sein (Liv. XXXV. 23.). Statt des ganz unbekannten Quintus musz also bei Festus L. gelesen werden. Der Bau der Novae tabernae fällt also in das Jahr 560., gerade in die Zeit zwischen 544. und 569., welche Ritschl Ind. lect. aest. 1845. p. VIII., ohne Festus Stelle zu kennen, scharfsinnig bestimmte". Videamus, quae fuerit Ritschelii ratiocinatio: primum ex Livii de argentariis, „quae nunc Novae appellantur", silentio collegit posterius demum eas restitutas esse, deinde hoc fieri debuisse ante a. 570 ex hac re efficit: „eo enim anno teste Livio XXXIX, 44 M. Cato ad aedificandam basilicam suam *quattuor tabernas* emit, quas e novis fuisse inde intelligitur, quod in septentrionali parte fori fuit basilica Porcia". Hanc autem basilicam apud Carcerem sitam fuisse, de ea re viri docti hodie consentiunt. Hoc quoque constat, praeter veteres et novas tabernas etiam alias fuisse, neque verisimile est Catonem e novis, quas privatas vix esse potuisse supra observavi, nonnullas emisse. Quod autem Urlichs dicit de Festi loco a Muellero quod ad sententiam attinet recte suppleto, ne hoc quidem tam certum mihi videtur. Omnino nescio,

Digitized by Google

an revera FESTUS non loquatur de tabernis. Neque vox *novas* neque *quinque* neque *tabernas* superest, sed *-vas* (qui finis esse potest e. g. vocis *quas*) et *-as*. Tantum vox *septem* superest. Admodum igitur temerarium mihi videtur pro certo statuere hic mentionem fieri septem tabernarum. Atque omninone tam verisimile est hic agi de tabernis? Quamquam haud nescio aedilium censorumque officia non semper ita facile distingui posse, tamen, quantum scio, semper alias penes censores est cura tabernarum aedificandarum. Etiam ex appellatione plebeiarum efficiendum esse mihi videtur hic agi de aliqua re, quae solebat fieri ab aedilibus curulibus, sed nunc praeter morem facta erat ab aedilibus plebeiis. Si oppositio fieret inter censores et aediles, *aedilicius* nomen magis consentaneum foret.

Post hanc satis longam a Livii loco aberrationem iam ad ipsum revertor. Patet autem, si verum est quod disputavi, locum, sicut ad nos pervenit, stare non posse. Quoniam enim dixit Livius „pluribus simul locis" incendium ortum esse, et postea: „nec ulli dubium erat humana id fraude factum esse, quod pluribus simul locis et iis diversis ignes coorti essent", fieri non potuit, ut unum tantum locum nominaret, neque duos locos, quod tamen fit, si viros doctos sequimur; nam duo loci non plures dici possunt. Equidem sic ut legatur auctor sum: „.... pluribus simul locis circa forum incendium ortum: eodem tempore septem tabernae — quae postea quinque erant — argentariae, quae nunc Novae appellantur, arsere; comprehensa (*scil. igni subiecto*) post eas (*i. e. quae post eas sita erant*) privata aedificia e. q. s." Sic et quod in transitu observatur de basilicis

multo aptius est, quoniam Livii aetate pone Novas erat basilica Aemilia. Censeo ergo argentarias, quae Livii aetate Novae appellabantur, superiore anno combustas a. 545 refectas esse atque ab eo inde tempore Novas esse dictas, porticum autem cum iis coniunctam propter splendorem a populo nomen accepisse basilicae. Traditum quidem nusquam est illam porticum ceteris splendidiorem fuisse, sed quod etiam alibi videmus aedificium aliquod, postquam incendio haustum est, splendidius refici, id hic quoque factum esse suspicari non est temerarium. Nunc etiam intelligitur Livium in narratione de basilica Porcia aedificata simpliciter factum hoc memorare neque quicquam addere de eius usu vel nomine: basilica se ipsa procreaverat nomenque originem traxerat ex ore populi, et nominum, quae inde fluxerunt, origo — haud aliter in hodierna lingua se res habet — non traditur.

Videmus, quam perperam multi viri docti propter basilicae mentionem versum 472 Plauto abiudicaverint. Praeter hunc versum basilica etiam commemoratur Capt. 815 [1]), ubi subbasilicani foetidorum piscium odore in forum abigi dicuntur; hic quoque igitur proinde atque nostro loco basilica coniungitur cum foro piscario, ut alter versus alterum sustentet. Quod autem arbitratur Hülsen [2]), qui Curculionis scaenam, de qua agitur, spuriam censet, Captivorum versum, non Romam spectare („die Captivi spielen doch nicht in Rom; und sollte das Publikum, für das Plautus seine Stücke schrieb, eine Anspielung nicht verstanden haben, weil sie sich auf

1) Non defuerunt qui hunc quoque versum damnarent. Optime autem eum defendit Jordan Hermes XV, p. 133 sq.

2) Römische Mittheilungen VIII, p. 283.

Digitized by Google

eine in Rom selbst noch fehlende, aber beispielsweise in den campanischen Städten zu findende Einrichtung bezog?"), haec opinio veri speciem sibi vindicare non potest, primum propter similem versus Curculionis rationem, deinde quod versus sic multum leporis sui perditurus esset; neque enim plerique spectatores ita facile de alia hic cogitandum urbe erant intellecturi neque antequam Romae erant iam alia oppida basilicas habuisse aliunde innotuit.

Quod sunt qui putent ex singulari numero „sub basilica" apparere tunc unam tantum fuisse basilicam, hoc mihi non ita certum videtur; nam quemadmodum collective dici potest e. g. „in thermipolio", sic etiam dici posse existimo „sub basilica" etiam tum, cum iam plures sunt.

Nusquam alibi mentionem fieri de basilica Plautina, non est, cur miremur. Postquam Cato basilicam exstruxit, quae sola per se stabat neque erat adiuncta tabernis, basilicae nomen in illud transiit aedificiorum genus. De qua re recte disputat Gilbert [1]: „aus der mehr populären und zufälligen Bezeichnung der Hallenanlage der Nordtabernen Basilica (porticus) hat sich sodann Wort und Begriff der letzteren gelöst, als M. Porcius Cato das erste selbständige Gebäude errichtete, welches demselben Zwecke diente, dem jene Hallen in mehr nebensächlicher Weise gedient hatten".

Basilicam autem aetatis Plautinae porticum cum Novis argentariis coniunctam intelligi etiam aliam ob causam verisimile est; nam

Ibidem erunt scorta exoleta quique stipulari solent.

---

1) l. l. p. 211.

Digitized by Google

Etiam Truc. 67 sq. scorta sedent circum argentarias, et qui stipulari solent nimirum sunt argentarii. Non enim facio cum Ussingio annotanti: „eos significat, qui in rebus contrahendis non bona fide contenti sunt, sed omnia iuris vinculis constringunt". Admodum usitata res erat Romanis stipulatio, neque quisquam fere erat Romanus, quin interdum stipularetur. Tamen hanc ob causam dici non poterant stipulari solere. Patet hic spectari stipulationem argentariam [1]). Nam notum est argentariorum veterum non ea tantum fuisse officia, quibus hodierni fungantur argentarii, sed etiam auctionis munus ad illos pertinuisse. Quamobrem ex officio stipulabantur; summo igitur iure dici poterant stipulari solere. Cf. Suet. Vit. 14: „foeneratorum et stipulatorum publicanorumque". Suspicor argentariorum de Novis tabernis primarium officium fuisse auctionem, eorum vero, qui in Veteribus sedebant, fenerationem. Nam quod dicit Jordan [2]) in tractandis vs. 472 et 485: „wo es sich um die Charakteristik von Typen handelte, konnte der Dichter nicht demselben Typus, und zwar nur einem unter vielen, zwei verschiedene Schauplätze anweisen", etiam huc trahi potest. Mirum ergo est Jordanum [3]) *qui stipulari solent* interpretari „die Wucherer (denn das werden die stipulatores des V. 12 wohl sein)", tunc paulo post dicere: „endlich abermals Geldgeschäfte unter den *veteres tabernae*". Poëtam, nisi discernere voluisset, illud „abermals" addere oportebat. Eodem modo errat Friedrich [4]), qui item inter-

---

1) Vid. lex metalli Vipascensis. Ephem. epigr. III p. 167.
2) l. l. p. 125.
3) l. l. p. 130.
4) l. l. p. 710.

Digitized by Google

pretatur „wucherer". Qui vir doctus constare videri ratus Plauti aetate basilicam nullam fuisse, vs. 472 damnat. Quo versu expuncto scorta exoleta atque stipulatores nimirum quaerendi sunt apud Cloacinae sacrum, eodem loco quo mendaces et gloriosi. Sive autem Cloacinae sacrum cum Jordano proxime a rostris afuisse suspicamur sive cum Friedrichio ibi, ubi cloaca maxima aream fori ingreditur, tamen hic vir doctus sententiam suam parum feliciter defendit: „diese annahme wird zur evidenz durch v. 476, wo wir nur wenig südlich an derselben cloaca das nemliche publicum antreffen, die *ostentatores meri*, die nichts anderes sein können als die *mendaces* und *gloriosi* des v. 471". Iam supra vidimus fieri vix posse, ut duobus locis eadem hominum genera tribuantur non addito *quoque* vel alio eiusmodi vocabulo, neque credo poëtam bis idem genus commemorare. Nego autem ostentatores necessario eosdem esse debere atque mendaces et gloriosos. Ostentatores hic ii sunt, qui speciem formamque suam ostentent (cf. Truc. 270). In medio foro eos ideo versatos esse arbitror, ut undique atque a quam plurimis conspicerentur. Quomodo autem Gilbert [1] „ostentatores meros" interpretari possit „die grosze Masse der auf die Trinkgelder der Reichen angewiesenen", omnino me praeterit, nisi adductus loco Festi 45: „canalicolae forenses homines pauperes dicti, quod circa canales fori subsisterent" scripsit ista. De quo loco quid statuendum sit, ignoro; nostro autem loco canalem intelligi cloacam maximam constare mihi videtur.

Porro Friedrich dicit: „das Argiletum aber führte nach

1) l. l. p. 220.

norden zum *forum piscarium* und weiter zur Subura, dem hauptaufenthaltsort der reifern dirnen (*scorta exoleta*), die von dort aus zum forum hinabströmten und sich hier an den wechslertischen (Truc. 66 f.) niederlieszen, wenn sie des herumstreifens müde waren". Ergo FRIEDRICH quoque scorta apud argentarias quaerit; ibidem autem erunt deleto versu nostro mendaces et gloriosi; qui quid ibi habeant negotii, prorsus me latet. Manifestum igitur est versu carere nos non posse.

Non autem bis, sed etiam ter idem hominum genus commemorari existimat FRIEDRICH: „auch weiterhin (472—474 *leg. 477—479*) nach dem Capitolium zu oberhalb des *lacus Curtius* ist im wesentlichen dasselbe publicum". Versantur enim

Confidentes garrulique et malevoli supra lacum,
Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam
Et qui ipsi sat habent quod in se possit vere dicier.

Ne hi quidem iidem sunt atque mendaces et gloriosi. Sunt homines curiosi loquacesque, qui sola loquacitate inducti alteri maledicunt („de nihilo audacter dicunt contumeliam"). Cf. Stich. 198 sqq. Ideo suspicor forum summum eos quaesivisse, quo magis studio videndi loquendique indulgere possent; ibi enim conspicere poterant homines, qui ad praetorem ibant, qui iis largam praebebant confabulandi materiem.

Cum vs. 475 recte comparat BECKER[1]) Cic. de or. III, 133: „M'. vero Manilium nos etiam vidimus transverso ambulantem foro; quod erat insigne eum, qui id faceret, facere civibus omnibus consilii sui copiam". Quem locum

1) I p. 328.

Digitized by Google

cur Jordan [1]) ad Curculionis versum facere neget, non dispicio.

Pergit poëta a summo foro ad tabernas Veteres, quibus praeteritis oculos conicit inde a foro (nam videtur forum non relinquere) pone aedem Castoris et in vicum Tuscum:

In Tusco vico, ibi sunt homines qui ipsi sese venditant,
In Velabro vel pistorem vel lanium vel haruspicem
Vel qui ipsi vortant vel qui aliis ut vorsentur praebeant.
Ditis damnosos maritos apud Leucadiam Oppiam.

Duos hic habemus versus, 483 et 485, qui „construi" quod aiunt nequeunt; neutrius accusativi habent unde pendeant. Alter insuper tantam habet cum vs. 472 similitudinem, ut utrumque servari non posse manifestum sit; alter alteri cedere debet. Iam supra vidimus vs. 471 et 473 coniungi non posse. Si autem vs. 485 in loco vs. 472 ponimus, apud Leucadiam Oppiam etiam erunt scorta exoleta quique stipulari solent. Quid autem stipulatores ibi quod agerent habuerint, non facile est intellectu. Praeterea ceteris huius scaenae versibus loci nominantur, non hominum nomina. Quid autem magis in promptu est quam suspicari interpolatorem aliquem nomen cuiusdam infamis mulieris, quae suo tempore vulgo nota esset, in scaenam inseruisse? Aliam vero viam ingressus est Friedrich, qui, ut vidimus, non credens iam Plauti aetate basilicam fuisse et ratus vs. 473 versui 471 adnecti posse vs. 472 eiecit. Tum scaenae finem sic refingit:

In Tusco vico ibi sunt homines qui ipsi sese venditant.
Ditis damnosos maritos apud Leucadiam <quaerito>,

1) l. l. p. 130.

In Velabro vel pistorem vel lanium vel haruspicem
Vel qui ipsi vortant vel qui aliis, ut vorsentur,
[praebeant.

Quod mihi non probari apparebit. Primum disserendum est de significatione versus 484, in quo pro „aliis ut vorsentur" codices habent „alii subversenter". Quod sic explicat Gronovius: „Hoc est, vel qui ipsi vertant ac mutent merces munuscularii negotiatores, vel praebeant institoribus merces, quibus exerceant negotiationem sub aliis, quas mutent dominorum vice. Finxit enim *subversari*, ut *suppromum, subballionem*, ille apud Quinctilianum *subcoenant*, Ovidius *subnuba lecti*". Non autem id quod putat Gronovius ex illis verbis extrahi posse nemo non intelligit. Lipsius coniecit quod supra scripsimus excepto quod ille pro *vortant* scripsit *vorsant*. Manifestum enim est inter se opponi homines, qui ipsi aliquid faciunt et qui aliis alicuius rei faciendae facultatem praebent. Quaeritur tantum, quid illud sit. Nego id esse, quod arbitratur Friedrich [1]): „die andere über das ohr hauen (*vel qui ipsi vortant*), aber — sich auch gelegentlich selbst von andern hinters licht führen lassen (*vel qui aliis, ut vorsentur, praebeant*)". Nam in praebendi verbo aliquid inest voluntarii; nemo autem se praebet, ut decipiatur. Recte vero Jordan [2]) vs. 483 delens versum 484 coniungit cum vs. 482. Quod enim contendit Friedrich pistores et lanios et haruspices hominum esse genera admodum Plautina, quae si in hac scaena non memorarentur, certum adfuturum indicium

1) l. l. p. 712.
2) l. l. p. 123 sq.

Digitized by Google

fuisse spuriae parabasis, cum contra memorata genuinam eam esse demonstrent, hoc ut verum sit magnopere vereor. Nam ceteri loci commemorati aut in foro sunt aut inde conspici possunt, ut mirum sit, quod unus tantum locus nominetur, de quo illud non valeat; neque iniuria observat JORDAN [1]): „wenn er von der Tuskergasse dann noch weiter nach dem Velabrun gelangte (22), so wäre das topographisch durchaus begreiflich: nur freilich würde leicht die Frage aufgeworfen werden können, warum wer einmal das Forum und die unmittelbar anstoszenden Gassen verlassen hat, grade beim Velabrum Halt mache und nicht noch das Leben auf manchen anderen nicht minder merkwürdigen Plätzen zu schildern Neigung verspüre." Cui rei si addimus deleto vs. 483 versum 484 optime explicari posse, satis esse videtur vs. 483 interpolatum putare. Videamus nunc, quid significet vs. 484. Primum quaeratur, num LIPSIUS recte *vortant* mutaverit in *vorsant*. Quamquam omnino verum est eadem verba requiri, tamen non fieri potest ut altera sententiae parte indicativus exstet, altera coniunctivus; nam quod hunc defendit LEO annotando: „coniunctivus ab antecedente attractus", nullum eiusdemmodi exemplum inveni. Si igitur censemus non altera parte *vortere*, altera *vorsare* exstare posse, aut priore loco mutandum est *vorsent* aut posteriore *vortantur*. Non autem hic illud verborum vortendi et vorsandi discrimen me offendit; nam verba et eiusdem stirpis sunt et discrimen formae admodum parvum est. Neque veri caret specie quod arbitratur JORDAN: verbo vortendi alludi

---

1) l. l. p. 121 sq.

Digitized by Google

in Vortumnum, cuius dei signum exstabat in fine vici Tusci. Quod autem idem vir doctus disserit ad coniunctivum explicandum et de significatione verborum *vortere* et *vorsari*, non possum assentiri: „der Conjunctiv aber erklärt sich nun einfach durch die vorschwebende Vorstellung, dass Gott Vortumnus es sei, der hier statt das Jahr oder den Fluss zu wenden — das waren die gewöhnlichen Herleitungen des Namens — vielmehr, wie der Name es zeige, die Schuld trage, dass hier gedreht werde was zu drehen sei". Tum *vortere* interpretatur *decipere* („Bauernfängerei"). Ego vero coniunctivum simplicius explicari et posse et debere censeo. JORDAN tria hominum genera memorari existimat, ego tantum duo. „Homines qui ipsi sese venditant" in duas classes poëta dividit; relativum *qui* est relativum finale; illi homines se venditant vel ut vortant vel ut se praebeant ut vorsentur. Quod quomodo intelligendum sit, mihi non dubium videtur: in obscaenam partem illa verba adhiberi persuasum mihi est. Quamquam, quoad scio, versandi verbum nusquam alibi illam vim habet, tamen facile fieri potuit ut in plebeio sermone illa significatione adhiberetur, et Plautus, ut in Vortumni nomine ludere posset, primum *vortere* usurparet, deinde *vorsari*, quod fortasse magis eo sensu adhiberetur, sicut exposuit JORDAN, qui tamen, siquid video, quod ad significationem attinet, errat. An fortasse poëta hoc spectat, ut *vortere* usurpet de iis, qui id faciunt quaestus causa, intensivum autem *vorsare* de iis, qui libidini indulgent? Propter significationem conferatur *arare* (Truc. 147 sqq.), cum *vortere* et *vorsari* etiam notione arandi adhibeantur.

Quamvis igitur vs. 483 et 485 interpolatos esse de-

Digitized by Google

monstratum sit, tamen illorum accusativorum, qui subiecto carent, rationem nondum explicatam esse opinor. Goetz post vs. 483 intercidisse putat „unde et accusativi pendeant et lucem accipiat versus proximus". Ussing annotat: „versus aut pessime fictus aut verbum excidit". Jordan [1]) versus 485 speciem inde explicat, quod is, qui versum finxit, ei versus 472 locum destinaverit; versus autem 483, quod commemoratus vicus Tuscus interpolatorem commoverit, ut adderet Velabrum, de quo quid diceret non haberet nisi nudam quandam rem, quam versum 469 imitatus enuntiaverit. Friedrich explicat sic ut supra indicatum est. Quarum opinionum nulla mihi placet. Ego puto ab initio versum 482 verbum habuisse, unde interpolati accusativi penderent. Quid enim? Nunc tres continuos versus, 480 et 481 et 482, habemus, in quibus omnibus exstat *ibi sunt,* quod mihi quidem valde displicet. *Ibi sunt* bis repetitum non offendit, praesertim cum sic secundo loco exsistat allitteratio *sunt subito.* Sed quod ter ponatur, illud defendi non posse mihi videtur. Ab initio versum talem fuisse suspicor: „In Tusco vico invenietis qui ipsi sese venditant"; librarium autem imprudentem propter praecedentium versuum „ibi sunt" hoc scribere perrexisse, posteaque ad versum explendum *homines* insertum esse. Ab hoc *invenietis* pendent accusativi interpolati versus 483, fortasse etiam versus 485, etsi fieri potest, ut hic versus explicandus sit, sicut explicavit Jordan.

Unus restat versus, de quo fusius disputandum est. Est vs. 474:

---

1) l. l. p. 127 sq.

Digitized by Google

Symbolarum collatores apud forum piscarium.

Hunc versum Urlichs[1]) collocat post vs. 480. Etenim, id quod et alii viri docti statuunt, posteriore tempore forum piscatorium vel macellum in septentrionali fori parte exstitisse, existimans, Plauti aetate illud quaerendum esse in australi parte putat. Quae opinio plures ob causas se commendare ei videtur. Primum quod tum parabasis congruens aequabilisque evadat; ter enim terni loci commemorantur, tres septentrionali parte, tres in area, tres in parte australi (ultra memoratam aedem Castoris non progressum esse choragum arbitratur v. d.). Quasi vero qui talia describit congruentiam curare omnino possit neque veri rerum status rationem habere debeat. Deinde putat vir doctus, si ipsum sequamur, lacunam inter tabernas et aedem Castoris expleri. At omnino ignoramus inter illas vacuum fuisse locum. Tertio loco contenditur tunc consensum exstare inter Plautum et Livium. Existimat enim Urlichs ex Livii loco supra tractato efficiendum esse incendium in utraque fori parte simul coortum esse: in australi parte septem tabernas sitas fuisse, in parte septentrionali „argentarias, quae nunc Novae appellantur"; hic autem comprehensas esse Lautumias, illic atrium regium. Quoniam vero Livius proximo anno reficiendas locatas esse tradit septem tabernas, macellum, atrium regium, sed neque Lautumias commemorat neque „argentarias quae e. q. s.", inde colligit vir doctus, cum macellum inter septem numeretur tabernas et atrium regium, quae ambo in australi collo-

1) l. l. p. 86 sqq.

cet parte, macellum quoque in hac parte fuisse atque tantum australem fori partem refectam esse. At Livius disertis verbis dicit non tantum hanc partem restitutam esse, sed „quae circa forum incendio consumpta erant, septem tabernas, macellum, atrium regium". Ergo ne ex hoc quidem loco effici potest macellum in australi parte quaerendum esse. Reliqua de hoc Livii loco videantur supra. Ubi si recte disputatum est, incendium non in australi parte saeviisse apparet.

Sed etiam aliud habet argumentum Urlichs: „die übrigen Stellen bei Plautus", ait, „worin der Besuch des Markts oder das Suchen einer Person vorkommt, haben unter einander die gröszte Aehnlichkeit und, wenn auch einzelnes Fremde aus der griechischen Quelle stehen blieb, römisches Colorit. Amphitruo ist 4,1 bei den myropolia, | apud emporium atque in macello, in palaestra atque in foro; | in medicinis, in tonstrinis gewesen. Epidicus 2, 2, 14 per medicinas per tonstrinas, in gymnasio atque in foro, | per myropolia et lanienas circumque argentarias. Euclio Aulul. 2, 8 findet Fische und Fleisch im macellum zu theuer, er kauft tusculum. Megadorus ist zum macellum gegangen und bringt Köche, Flötenspielerinnen mit seinem obsonium vom forum (ebd. 2, 2, 86 und 2, 4, 1), d. h. vom forum coquinum oder dem macellum (vgl. Plin. 18, 108). Auch im Rudens 4, 3 kauft man Fische auf dem macellum oder forum; Fische im Pseud. 1, 2, 36 zu dem Fleische, das zu Hause war. Die Salben und der Weihrauch waren aber im vicus Tuscus (oder turarius) und dem unguentarius zu haben; den lanius suchte man wie den haruspex in Velabro (Curc. a. a. O.); das Lammfleisch im Aequimaelium (Cic. de divinat. 2, 27), d. h.

Digitized by Google

Alles hinter der Südseite des Forums, wo der entlegenste Ort das Emporium unter dem Aventin war.” Immo, ex Amphitruonis loco, si omnino inde aliquid efficitur, ego potius colligam macellum in septentrionali fori parte situm fuisse. Nam narrat Amphitruo se omnis plateas perreptavisse, gymnasia et myropolia; apud emporium atque in macello quaeritasse Naucratem. Si in omnibus plateis quaesitavit, non est credibile, locos, quos nominat, tantum in australi parte sitos fuisse. Atque, si memorat emporium et macellum, duos locos eum nominare, qui longe inter se distent, quo magis perspicuum reddat, quanto labore quaesitaverit, iure suspiceris. Emporium autem in australi parte situm fuit; quid igitur magis consentaneum est quam macellnm quaerendum esse in parte septentrionali? Ex ceteris locis nihil effici potest. Si Euclioni pisces carnesque in macello nimis carae videntur atque ergo tusculum emit, nihil impedit, quominus accipiamus a macello, quod in septentrionali sit fori parte, eum se contulisse in vicum Tuscum qui in australem exit fori partem. Praeterea talia e Graeco exemplari servari potuerunt, ita ut urbs Roma haud quaquam spectetur.

Postremo Varronis testimonio demonstrari putat Urlichs macellum Plautinum in australi fori parte situm fuisse. Legimus enim apud Varronem L. L. 5, 145 sqq. (Müll.): „Quo conferrent suas controversias, et quae vendere vellent quo ferrent, forum appellarunt. Ubi quid generatim, additum ab eo cognomen, ut forum boarium, forum olitorium; hoc erat antiquum macellum ubi olerum copia. Ea loca etiam nunc Lacedaemonii vocant macellum; sed Iones ostia ortorum macellotas ortorum, et

Digitized by Google

castelli macella. Secundum Tiberim ad Iunium † forum piscarium vocant; ideo ait Plautus:

Apud piscarium
Ubi variae res.

Ad corneta forum cupedinis a cupedio [1]); quod multi forum cupidinis a cupiditate. Haec omnia posteaquam contracta in unum locum quae ad victum pertinebant, et aedificatus locus: appellatum macellum, ut quidam scribunt quod ibi fuerit ortus; alii quod ibi domus fuerit [2]) quoi cognomen fuit macellus, quae ibi publice sit diruta: e qua aedificatum hoc quod vocetur ab eo macellum".

ad Iunium corruptum esse iam diu intellectum est, atque iam Osann [3]), id quod magnam habet veri speciem, statuit tantum *apud piscarium* e Plauto esse, *ubi variae res* autem Varronis. Verisimillimum igitur est Varronem spectare Curculionis versum. Urlichsio persuasum est legendum esse sic: „forum olitorium, hoc erat antiquum macellum, ubi olerum copia (ea loca — macella) secundum Tiberim. Adiunctum forum piscarium vocant (besser vocabant); ideo ait Plautus u. s. w." Quod sic explicat: „nach der Stadt hin grănzte das Forum piscarium, nicht hart und unmittelbar, denn es lief die Mauer und Straszen dazwischen, von dem Platze Aequimaelium am Vicus iugarius abgesehen, sondern es was in der Richtung gegen das Forum benachbart...... Hinter den septem tabernae vorbei stiesz also das Forum piscarium mit

---

1) Sic editiones; *fastidio* codices; Jordan Herm. II, 89 *Cuppedine.* Sequentia hoc modo explet Urlichs: *quem multi<s latrociniis infamem damnatum esse tradunt, alii> forum cupidinis a cupiditate.*

2) Urlichs hic inserit *Manii,* Jordan *hominis.*

3) Anal. crit. p. 186.

Digitized by Google

einer schmalen Seite an das Forum." Quod si ita esset, si quidem et murus et plateae et Aequimaelium inter forum piscarium et forum olitorium exstabant, magnopere vereor, ut hoc illi adiunctum dici potuerit. Sed praeterea, quod maxime dolendum est, locus Varronis tam est corruptus, ut certi nihil inde effici possit. Quid autem significat illud *ideo* in enunciatione: „ideo ait Plautus"? Equidem inde colligam aliquid praecessisse velut „macellum etiam forum piscarium vocant"; tum pergi potest: „ideo ait Plautus: apud piscarium, ubi variae res." Varro hoc dicere velle videtur: „ex nomine *forum piscarium* colligas in illo foro tantum pisces venire; sed non ita est; ibi enim veneunt variae res. E. g. Plautus ait: *apud forum piscarium*, cum loquatur de symbolarum collatoribus, unde apparet eum macellum spectare; nam symbolarum collatores non solum emunt pisces, sed varias res." Nego igitur e Varronis loco de situ fori piscarii effici quidquam posse.

Non magis quam quod coniecit Urlichs, placet quod proposuit Jordan [1]): „secundum Tiberim ad Portunium forum piscarium vocant". Sic quoque *ideo* sensu caret. Disputat vir doctus sic [2]): „nach seiner Gewohnheit stellt Varro auch hier die topographische Bestimmung *secundum Tiberim* an die Spitze des Satzes: sie überhaupt zu geben, konnte er bei einem bekannten Platz allein veranlasst sein durch die Gegenüberstellung des nicht am Tiber gelegenen gleichnamigen Platzes der Zeit des Plautus". Ego non credo Varronem forum piscarium

1) Top. II, 257. I, 1, 432; 504.
2) Herm. XV, p. 120.

Digitized by Google

aetatis Plautinae opponere foro piscario sui ipsius temporis: opponit antiquum macellum vel forum olitorium (spectat tempus ante Plautum) macello posterioris aetatis, i. e. tam Plauti quam ipsius: *secundum Tiberim* transpono ante *Ea loca* et pro *ad Iunium* lego *ut ait Iunius* (Iunius apud Varronem saepius laudatur, vid. L. L. V, 42; 48; 55; VI, 33), ut sic legatur: „hoc erat antiquum macellum, ubi olerum copia, secundum Tiberim. Ea loca etiam nunc Lacedaemonii vocant macellum; sed Iones ostia hortorum macellotas hortorum, et (*scil. ostia*) castelli macella, ut ait Iunius. <Macellum etiam> forum piscarium vocant; ideo e. q. s." An fortasse inter se transponenda sunt *ideo ait Plautus: apud piscarium* et *ubi variae res*, ut talis eveniat lectio: „forum piscarium vocant ubi variae res; ideo ait Plautus: apud piscarium"?

Videmus omnia Urlichsii argumenta veri carere specie, ut statuendum sit macellum vel forum piscarium tam Plauti quam posteriore tempore in parte fori septentrionali exstitisse.

Quod autem tempus spectant Varronis verba: „haec omnia posteaquam contracta in unum locum quae ad victum pertinebant, et aedificatus locus: appellatum macellum"? Consentiunt Urlichs, Jordan, Gilbert, censentes id factum esse a. 575 censoribus Aemilio et Fulvio. Urlichs putat illo anno venditionem earum rerum, quae ad victum pertinebant, in septentrionalem fori partem translatam esse, Jordan et Gilbert macellum ibi iam exstans tum esse ampliatum. Videamus, quid ut illud censerent eos commoverit. Liv. 40, 51 M. Fulvius inter alia locasse narratur „basilicam post argentarias Novas et forum piscatorium, circumdatis tabernis, quas vendidit

Digitized by Google

in privatum". Atque apud Festum p. 125 legimus haec: „macellum dictum a Macello quodam, qui exercebat in Urbe latrocinium, quo damnato censores Aemilius et Fulvius statuerunt, ut in domo eius obsonia venderentur". Eandem latrocinii historiam narravit Varro in Antiquitatibus rerum humanarum teste Donato ad Ter. Eun. 2, 2, 25: „Num. Equitius Cuppes et M.' Macellus singulari latrocinio multa loca habuerunt infesta. His in exilium actis publicata sunt bona et aedes ubi habitabant dirutae eque ea pecunia scalae deum Penatium aedificatae sunt; ubi habitabant [1]), locus ubi venirent ea quae vescendi causa in urbem erant allata. Itaque ab altero Macellum, ab altero forum Cuppedinis appellatum est". Cf. Fest. p. 48: „Cuppes et cuppedia antiqui lautiores cibos nominabant; inde et macellum forum cupedinis appellabant. Cupedia autem a cupiditate sunt dicta, vel, sicut Varro ait, quod ibi fuerit Cupedinis equitis [2]) domus, qui fuerat ob latrocinium damnatus". Vid. etiam locus Varronis supra citatus, atque Plut. Quaest. Rom. 54: *„λέγεται γὰρ ἐν Ῥώμῃ βίαιον ἄνδρα καὶ λῃστρικὸν γενόμενον καὶ περικόψαντα πολλοὺς, Μάκελλον τοὔνομα, μόγις ἁλῶναι καὶ κολασθῆναι, ἐκ δὲ τῶν χρημάτων αὐτοῦ δημόσιον οἰκοδομηθῆναι κρεοπώλιον ἀπ' ἐκείνου κτησάμενον τὴν προσηγορίαν"*.

Illa historia de Macello et Cuppede vel Cuppedine quin ab etymologis ficta sit ad explicanda nomina macelli atque fori cuppedinarii, haud dubium mihi videtur; neque intellego, quomodo Jordan et Gilbert, quamvis illa no-

---

1) Urlichs delet *ubi habitabant* ut dittographiam; Jordan inserit *aedificatus;* at hoc optime mente suppleri potest.

2) Jordan scribit *Equiti.*

Digitized by Google

mina ficta arbitrentur, ipsam historiam veram esse posse existiment. Historiam ipsam fictam esse etiam inde apparet, quod tam varie traditur: alio loco legimus statutum esse, ut in aedibus opsonia venderentur, alio domum dirutam esse, alio e bonis publicatis scalas deum penatium aedificatas esse. Non autem veri dissimile mihi videtur aliquando ex damnatorum aedibus dirutis scalas deum penatium aedificatas esse; si cuius domus diruebatur, nimirum penates quoque expellebantur, atque irae averruncandae causa tali in re a Romanis penates civitatis aliqua grata acceptaque re esse affectos perquam verisimile est. Anno autem 575 in media urbe duos homines potuisse latrocinium exercere et multos περικόπτειν (dixeris sermonem fieri de aliquo Caco, et Plutarchus verbo illo utens cogitare videtur de nomine macelli nato e mactandi verbo) credi nequit. Etymologi autem illam historiam aedium dirutarum, e quibus scalae deum penatium aedificatae sint, coniunxisse videntur cum macello atque foro cuppedinario propter horum et aedis penatium vicinitatem, at nimirum minime necessarium est in ea urbis parte aedes illas sitas fuisse, ubi postea macellum fuerit. Quod autem Festus nominat censores Aemilium et Fulvium, illud non magni esse momenti arbitror; neque enim constat censores anni 575 spectari et facile Festum vel Verrium Flaccum, ut illis censoribus, quos locis publicis aedificandis strenue operam dedisse ex Livio perspicitur, tribuerent quod eorum non erat, ipse ille Livii locus adducere potuit. De quo nunc videamus: Fulvius locat „forum piscatorium circumdatis tabernis". Urlichs hoc segregat a macello aedificato, ratus Livium macellum non commemorare, quia non exstructum sit

ex pecunia attributa, sed ex damnatorum pecunia. JORDAN contra contendit ex hac pecunia scalas deum penatium aedificatas esse, pro macello pecuniam ex aerario attribuendam fuisse, et macellum Varronis Festique idem esse atque forum piscatorium Livii. Mihi forum piscatorium pars potius macelli videtur [1]; non autem credo Livii locum recte traditum esse; quid enim est: „locat forum piscatorium circumdatis tabernis"? Intelligerem: „aedificat forum piscatorium circumdatis tabernis"; nego autem illud recte se habere; conicio legendum esse: *circumdandum*. Macellum, quemadmodum cum magna veri specie disputat URLICHS, in plures areas divisum erat, ubi singulae merces venibant. Suspicor autem Fulvium eam aream, ubi pisces venales erant, tabernis circumdandam locasse. Macellum enim iam a. 545 post praecedentis anni incendium refectum erat. Apparet pro certo statui non posse, quo tempore omnia, quae ad victum pertinebant, in unum locum contracta sint. An fortasse accipiendum est a. 545 locum privatorum aedificiorum, quae proximo anno combusta erant, adhibitum esse ut forum piscatorium ad macelli spatium dilataretur? Quae sententia revera se commendare videtur verbis Livii, quippe qui in narrando incendio commemoret forum piscatorium, in referendis locis qui refecti sint mentionem faciat macelli. Conflagrat forum piscatorium, reficitur macellum. Num nimis temera-

---

1) Ex pluribus locis, ubi vox macelli invenitur, apparet latiore eam sensu usurpatam esse; cf. imprimis Ter. Eun. 255 sqq.:

Dum haec loquimur, interea loci ad macellum ubi adventamus,
Concurrunt laeti mi obviam cuppedinarii omnes:
Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores.

Digitized by Google

rium est hinc efficere forum piscatorium addito aedificiorum privatorum loco in macellum excrevisse?

Redeo ad Curculionem. Restat ut pauca dicam de tota scaenae indole. De qua viri docti admodum varie iudicant. Urlichs eam vocat „die schöne Schilderung des Forums"; eadem Jordano videtur „selbst der schwachen Stunden des Dichters, denen der ganze Curculio sein Dasein verdankt, kaum noch würdig." Comparat eam cum Capt. IV 2, et profecto illa comparatio magnopere Curculionis scaenae nocet. At, ipse illud concedit vir doctus, Curculio una est e poëtae infirmioribus fabulis; quod si ita est, mirum esse non potest scaenam, de qua agitur, parum evasisse facetam. Alliterationis vere Romanae Jordan unum tantum exemplum in tota scaena inveniri putat: *ditis damnosos;* nam vix huc facere *vel vitiosum* et *vortant vel,* nequaquam autem *stipulari solent.* Cur autem non laudat vir doctus *lepidum lepide* neque *nimis opere sumat operam?* Nonne vere Plautinum est sic vel eandem repetere vocem vel eiusdem stirpis voces inter se iungere? Equidem alliterationibus etiam adnumero *vel vitiosum vel* et *stipulari solent* (in sermone pedestri breviter diceretur *stipulatores*) et *commonstrabo quo in quemque* et *sunt subito* et fortasse eodem et *confidentes garrulique* est referendum. Porro non a Plauti more abhorret (id quod certe nostro cognatum est loco) aliquem dicentem inducere, quid inter duos actus futurum sit. E. g. in fine Pseudoli actus primi histrionem dicentem fingit: „tibicen vos interibi hic delectaverit." Cf. Cas. 797 sq.: „Age tibicen, dum illam educunt huc novam nuptam foras, Suavi cantu concelebra hanc plateam hymenaeo".

Digitized by Google

Quod scaena nostra in tota palliata unica exstat, non est idonea causa, cur interpolatori potius quam ipsi poëtae eam tribuamus, atque quod minus est faceta quam pleraque Plauti, tribui potest materiae. Poëta fingendi facultati, qua pollebat, indulgere non potuit; certos sibi fines statuerat: forum locosque vicinos describere in animum induxerat; veri igitur rerum status ratio erat habenda. Cuius rei si memores sumus, concedendum est poëtam materiam tam ieiunam frigidamque satis festive tractavisse. Confirmatur sententia de Plauto scaenae huiusce poeta hac re, quod vox ἀλοφάντης ex Graeco exemplari recepta esse mihi videtur; quod si ita est, in Graeco exemplari eiusdemmodi scaena exstabat.

Sed etiam plura affert Jordan, quae probare ei videntur scaenam esse spuriam: „den, wie es scheint, unplautinischen Gebrauch des Worts *ostentator* (15) und die Messung *Castōris*". Cur usum vocis *ostentator* non Plautinum ducat, neque dicit neque dici posse opinor. Neque intelligo, quomodo paenultima genitivi *Castoris* syllaba producta scrupulum viro docto iniicere possit; nam et Varro et Martianus Capella et Quintilianus testantur veteres nomina Graeca, quae terminantur in *-or*, declinasse tamquam si nomina essent Romana: Varro L. L. X, 70: „dicebant ut quaestorem, praetorem, sic Hectōrem, Nestōrem. Itaque Ennius ait: *Hectoris natum de muro iactarier*. Accius haec in tragoediis largius a prisca consuetudine movere coepit, et ad formas Graecas verborum magis revocare, a quo Valerius ait: *Accius Hectorem nolet facere, Hectora malet*"; Martianus Capella III, 298: „*Castoris* et *Hectoris* genitivos veteres produxerunt, sed nos corripimus, quoniam Graeci horum

Digitized by Google

nominum genitivos corripiunt"; Quint. I, 5, 60: „*Castorem* media syllaba producta pronuntiarunt". Praeter exemplum laudatum a Varrone etiam duo exstant exempla eiusdem poëtae apud Cic. in Tusc. disp., alterum I, 44, 105: „Hectorem curru quadriiugo raptarier", alterum II, 17, 39: „ubi fortuna Hectoris nostram acrem aciem inclinatam". Licet igitur tantum nominis Hectoris exstent exempla, tamen non facile est intellectu, quid JORDANUM movere possit, ut casus obliquos nominis Castoris apud veteres paenultimam produxisse nolit credere, cum quidem de nomine Hectoris constet. Immo, si veteres nomen Hectoris flexerunt tamquam si nomen esset Romanum, tanto verisimilior in nomine Castoris usus ille est: hunc enim deum e Graecia esse oriundum haud dubie plerique Romani iam erant obliti. Quod autem exempla tantum afferuntur nominis Hectoris (secundum JORDANUM etiam Nestoris, sed huius nominis exemplum non inveni) eaque ex Ennio, nimirum non est, cur Plautum eadem usum declinatione dubitemus. Plures causae esse potuerunt, cur Varro neque exemplum e Plauto afferret neque nominis Castoris hic faceret mentionem. Primum enim nomen Hectoris, quippe quod Graecum esse unusquisque statim sentiret, magis valebat ad demonstrandum quod demonstrare volebat; deinde per se intelligitur Plautum non tam exemplis abundasse quam Ennium, qui quidem Graecas tragoedias Latine vertisset, ut nemini mirum videri possit apud eum plura exstitisse exempla nominum Graecorum, quae vulgo erant nota, quam apud Plautum, qui in sola comoedia vertenda studium posuerat. Apud quem quam rara exempla fuerint, ex ipsis quoque fabulis superstitibus perspicitur; nam

Digitized by Google

praeter locum Curculionis nullum apud eum invenitur exemplum casus obliqui Graeci nominis in *-or* exeuntis.

Posteaquam magis versari coeperunt cum Graecis, Romani illorum nominibus Romanam quantitatem tribuere desierunt. Quod e poëtis primum fecisse Accium perspicitur e Varronis testimonio de Valerio.

Etiam LANGEN [1]) in scaena nostra nonnullas invenit molestias prosodiacas. Putat enim formam contractam *dites* vs. 472 et 475 et 485 non esse Plautinam, ita ut iam eam ob causam illos versus damnandos esse censeat. Nam etiam Trin. 829, ubi forma contracta bisyllaba necessaria est, spurium ducit, atque non solum vs. 829, sed etiam 828, 831 (hunc cum BRIXIO), 832, in quibus multa sunt, quae eum offendant. Sed priusquam de singulis loquar, totum locum exscribam, 825 sqq. totamque meam de illo disputationem in novum conferam caput.

---

1) Beiträge p. 280.

Digitized by Google

CAPUT IX.

De loci in Trinummo (825 sqq.) versibus quibusdam immerito suspectis.

Nam te omnes saevomque severumque atque avidis
[moribus commemorant,
Spurcificum, immanem, intolerandum, vesanum:
[contra opera expertus,
Nam pol placido te et clementi meo usque modo,
[ut volui, usus sum in alto.
Atque hanc tuam gloriam iam ante auribus accepe-
[ram, et nobilest apud homines,
Pauperibus te parcere solitum, dites damnare atque
[domare.
Abi, laudo, scis ordine, ut aequomst, tractare homines;
[hoc dis dignumst.
Semper mendicis modesti sint.
Fidus fuisti: infidum esse iterant; nam absque foret
[te, sat scio in alto
Distraxissent disque tulissent satellites tui me miserum
[foede e. q. s.

Primum arbitratur Langen fieri non posse, ut Charmides, postquam disertis verbis professus sit: „nam te

Digitized by Google

omnes saevomque severumque, avidis moribus commemorant", partim illud irritum reddat dicendo: „atque hanc tuam apud homines gloriam auribus iam acceperam ante, pauperibus te parcere solitum" (sic enim legit cum RITSCHELIO); nam „im Vorhergehenden liegt klar ein ganz anderer Gedanke ausgesprochen: Alle sprechen schlecht von dir: ich habe das Gegentheil gefunden, d. h. ich habe das Gerede über dich, was bei den Menschen geht, nicht bestätigt gefunden, sondern gerade das Entgegengesetzte erfahren". Quod minime assentior viro docto; nam posterior sententia nequaquam repugnat priori. Dicit Charmides: „omnes te vocant saevum atque severum, quamquam de te exstat fama pauperibus te parcere, divites autem poena afficere; sed neque alius neque ego illud satis credebam; nunc autem verum esse ego expertus sum".

Deinde vir doctus hac re offenditur, quod Charmides secundum vs. 827 et 829 se numerat inter „pauperes": „nun hat aber Charmides ein bestimmtes Vermögen besessen, was ihm freilich sein Sohn Lesbonikus in seiner Abwesenheit durchbrachte, das konnte aber Charmides nicht wissen, cf. V. 330; er besass ferner ein Haus und in demselben verborgen einen Schatz von 3000 Philippsd'or, gerade keine verächtliche Summe, ferner ein Landgut vor der Stadt, was wenigstens so viel eintrug, dass Lesbonikus mit seinem Sklaven davon leben konnte, cfr. 512 ff., ja, der Besitz dieses Landgutes allein wird schon als divitiae bezeichnet V. 682; dazu hat er sich auf seinen Reisen ein weiteres Vermögen erworben: 839 *dehinc iam certumst otio dare me: satis partum habeo quibus aerumnis deluctavi filio dum divitias quaero*

Digitized by Google

und er hat diesen Zweck erreicht, cfr. 1182: *bene re gesta salvos redeo;* 834 spricht er von seinen *bona omnia*, die er auf dem Meere bei sich gehabt habe. Nimmt man das Alles zusammen, so musste sich Charmides unter die 'divites' rechnen, auch bei der freigebigsten Ausdehnung des Begriffes, der in 'pauper' liegt, konnte dieser auf Charmides keine Anwendung finden." Ne hoc quidem Langeno concedo. Incertae enim sunt notiones vocum *pauper* atque *dives*, quae tantum ex oppositione cognoscuntur. Neque sic statui potest: „qui tantam habet pecuniam, dives est, qui autem tantam, pauper". Qui ex bonis capit sescenta sestertia, eum, qui tantum centena capit, pauperem dicit; hic vero divitem se ducit cum se cum eo confert qui habet annuam usuram decem milium sestertiorum. Sic et Charmides, cum in Seleuciam proficisceretur (nam hoc tempus spectat, non tempus post reditum), de divitiis cogitans, quae a filio erant perfusae, pauperem se vocare poterat; cf. vs. 108 sq.:

Nam postquam hic eius rem confregit filius
Videtque ipse ad paupertatem protractum esse se.

Erat igitur profectus in Seleuciam, cum ad paupertatem redactus esset. Quod attinet ad thesaurum in aedibus abditum, hic vel saltem pars eius dotis loco destinata erat filiae, cf. vs. 157 sqq.:

Si quid eo fuerit, certe illius filiae,
Quae mihi mandatast, habeo dotem unde dem,
Ut eam in se dignam condicionem conlocem.

Cuius thesauri si nullam habemus rationem, restant aedes in urbe et sub ea ager, profecto non magnae divi-

Digitized by Google

tiae. Cf. Cic. Parad. VI, 3: „M.' Manilius patrum nostrorum memoria..... pauper tandem fuit; habuit enim aediculas in Carinis, et fundum in Labicano."

Quod Lesbonicus agri possessionem divitias dicit, ne illud quidem sententiam nostram redarguit. Opponit se sorori suae sine dote collocatae, ut non mirum sit divitem eum se vocare prae illa, quae nihil habeat.

Porro iure Charmides se opponere potest divitibus, qui avaritia perducti semper plura appetunt; ipse liberorum gratia trans mare est vectus, ut rem a filio profusam restitueret.

Tertiam hanc profert Langen molestiam, quod *damnare* vs. 829 usurpetur sensu „schädigen", qui sensus in tota Latinitate sit inauditus. At cur statuamus necesse est illud verbum hic illa notione adhiberi? Cur non habere potest vulgarem notionem eamque, quam (etiam secundum Langenum) habet Lucil. Sat. XI (vs. 22 M.): „Cassiu' Caius hic operarius, quem Cephalonem dicimu' sectorem furemque, hunc Tullius, inquam, index heredem facit et damnati alii omnes"? Quod recte interpretatur Langen: „durch den Ausspruch des Testaments verworfen, verurtheilt zur Strafe, nichts zu erhalten". Eodem modo damnare dicitur Neptunus: pauperibus parcit, divites autem damnat ut domentur (*damnare atque domare ἓν διὰ δυοῖν*).

„Viertens" ait vir doctus „ist die contrahirte Form *dites* zwar durch Analogieen bei Plautus geschützt, aber es verdient doch die Thatsache constatirt zu werden, dass sich sonst keine sichere Stelle der Contraktion dieses Adjectivs bei Plautus findet, der doch das Wort nicht selten gebraucht." At respondeo: forma contracta hic

Digitized by Google

necessaria est, neque quicquam est, quamobrem locum spurium putemus. Apparet quidem Plautum formam non contractam praetulisse contractae; verum hinc non sequitur, hanc omnino ab eo esse vitatam. Contrarium valet de Terentio, qui semel tantum adhibet formam non contractam: Phorm. 276: „qui saepe propter invidiam adimunt diviti.“ Sed neque ideo hunc apud Terentium versum damnamus, neque forma contracta apud Plautum suspecta esse debet, cum praesertim, id quod ipse concedit Langen, ei sint praesidio formae contractae eiusdem generis. Atque Plautum illam notam habuisse argumento esse potest, quod et Naevius eam usurpavit, vid. Priscian. (rec. Keil p. 235): „Magnam domum decoremque ditem vexarant [1])“.

Quod ad quintam molestiam attinet, cum Langeno facio: vs. 832 recte se habere non potest; verum inde non efficio locum spurium esse; nam versum coniectura sanari et posse et debere censeo. Brix annotat: „*infidum esse iterant* steht zu *fidus fuisti* in koncessivem Verhältnis, s. 292. *iterant* = *iterum iterumque dicunt* ist selten: Pacuv. fr. 370 Ribb. *Caecam* (fortunam) *ob eam rem esse iterant, quia nil cernat, quo sese adplicet.*“ At possuntne duae sententiae, inter quas ratio intercedit „concessiva“, sic ἀσυνδέτως componi? Vs. 292 et 645 sq., quos laudat Brix aliter se habent. Sunt enuntiata, quae ἀσυνδέτῳ adversativo coordinantur. Sic et vs. 832 intelligi posset, nisi sequeretur „nam absque foret te e. q. s.“ Neque potest *infidum esse iterant* in parenthesi poni; nam acriter opponitur τῷ *fidus fuisti*. Leo interpretatur: „re-

1) Hertz *vexerant*.

futati altercari pergunt", quod non magis placet quam interpretatio Brixii. Exspectas aut „infidum esse obiciunt" aut „infidum esse falso contendunt". Prius autem enuntiatum reiciendum est propter sequentia: „nam absque foret te e. q. s."; restat igitur alterum, quod ita in verbis traditis latere censeo, ut pro *iterant* legendum sit *id errant*. Accusativus c. inf. *infidum esse* suscipitur pronomine neutrius generis *id*. Alios locos, ubi verbum errandi coniungatur cum acc. c. inf. in promptu non habeo; verum hoc fieri posse salva Latinitate argumentari non opus esse mihi videtur; *errant* compendiose dicitur pro *dicunt errantes*. Coninngitur *errare* cum accusativo pronominis neutr. gen. etiam Most. 187: „mone, quaeso, si quid erro"; Ter. Andr. 498: „teneo, quid erret"; Phorm. 804: „hoc tu errasti". Cf. Mil. 793: „erro, quam insistas viam".

Postremo Langeno molesta vidétur verborum collocatio „absque foret te", quia numquam praepositio a casu separetur verbo, ita ut hoc proxime sequatur praepositionem. Mihi autem ille verborum ordo satis excusari videtur metro anapaestico (his enim numeris versus scriptos esse contra Hermannum atque Ritschelium, qui trochaicos discripserunt, recte censent Studemund, Spengel, Leo, alii). Poëta fingit verbum compositum *absque esse* atque construit ut verbum separandi (cf. Ep. 285: „te abscedat"). Conferri possunt structurae quales sunt *circumstare aliquem* (Trin. 835: „circumstabant navem" pro „stabant circum navem") et *circumspicere se* (Trin. 146, 863, Pseud. 912).

Quae omnia si recte tractata sunt, versus damnati Plauto vindicandi sunt, praeter vs. 831, quem recte

Digitized by Google

delet cum MUELLERO [1]) LEO: „mendicis cur se adnumeret nulla causa". Versus insuper insignis est propter brevitatem, ut verisimile sit ascriptum eum esse. Itaque apparet, cuius rei gratia Trinummi locum tractavi, Plautum usurpasse formam contractam *dites*. Quamquam statim addo numeris anapaesticis licentiam maiorem esse quam iambicis trochaicisque. Sed hoc certe liquido apparet poëtam formam contractam notam habuisse. Et hanc Curc. 472, ut huc redeam, ideo adhibuisse eum suspicor, ut assimilationem redderet venustiorem; nam nunc et ambae syllabae, quae a simili littera incipiunt, extant in arsi et voces ἀσυνδέτως coniunguntur. Non autem eodem modo vs. 475 forma contracta explicari potest. Fortasse poëta hic illam usurpavit, quoniam versus 472 forma contracta ei adhuc in mente haerebat; sed etiam sumere licet, principio versum aliter conformatum fuisse, velut: „in foro infimo ambulant boni homines atque divites"; sive quod *ambulant* primitus omissum in medio versu, postea autem in margine additum, sic locum invenit in fine versus atque effecit, ut *divites* nunc metri causa mutaretur in *dites*; sive quod *ambulant*, postquam versui sequenti explicandi gratia ascriptum est, in praecedentem versum aberravit atque causa exstitit cur *ambulant* in medio versu deleretur.

Vidimus offensas prosodiacas in scaena non inveniri atque siqua exstat facile eam tolli posse. Neque quod porro LANGEN in medium profert contra vs. 475 (de vs. 472 et 485 supra actum est), ullius est momenti: „der Vers 475 endlich ist darum verdächtig, weil sonst in

1) Plautinische Prosodie p. 244.

Digitized by Google

dieser Scene nur Hiebe ausgetheilt werden, er steht im Wiederspruch mit dem scharfen Spott, welcher die ganze Scene durchzieht"; nam neque versus irrisionis est expers neque ubique illa irrisio tam acris est, et disertis verbis dicit choragus commonstrare se velle „vel vitiosum vel sine vitio vel probum vel improbum". Vs. 476 primitus pro *in medio* exstitisse dubitanter suspicatur LANGEN *in foro*, quod scilicet post insertum vs. 475 mutatum sit in *in medio*. Ne hoc quidem probare possum; nam si commemoratur forum superum, de infimo taceri vix potest.

Huc ergo nostra de Curculionis parabasi redit disputatio ut Plautinam esse totam scaenam, solos versus 483 et 485 interpolatori deberi statuam.

Digitized by Google

CAPUT X.

De Curculionis actu quarto.

vs. 488. Rebus intus peractis Curculio Cappadox Lyco foras procedunt. Curculio virginem secum abducit, qua praeire iussa, ad lenonem se his convertit verbis:

Et aurum et vestem omnem suam esse aiebat quam [haec haberet.

Sic certe in recentioribus est editionibus; *quam* autem coniectura est Taubmanni; nam cod. B habet *cuiquam* idemque E (at supra versum m. 3 *quicquid*); F autem et editio princeps *quicquid*, quod etiam J habere videtur. Quam lectionem iure recepisse Geppertum puto. Si enim legimus *quam haec haberet*, hoc additamentum satis inutile videtur. Non idem de *quicquid haec haberet* censendum est, quod multo est efficacius disertiusque: non solum virginis aurum et vestem militis esse Curculio dicit, sed quicquid ea habeat, nulla re excepta. Accedit quod corrupte traditum *cuiquam* multo facilius oriri potuit ex *quicquid* quam ex *quam*. Supra *quicquid* scriptum est *quam*, quod cum priore parte vocabuli *quicquid* coaluit in *quicquam*, unde novo vitio natum *cuiquam*. De correpta priore vocis *quicquid* syllaba conferatur

8

Digitized by Google

Brix ad Mil. 311: „*quicquid* pyrrhichisch: der Tonanschluss wirkte verkürzend auf die erste Silbe, ebenso Truc. 254 *quĭcquid ést*, s. *sĭquid* Epid. 526, *sĭquis* Ter. Andr. 258, vielleicht *ĕcquis* Capt. 830". Conferantur praeterea Amph. 793, Epid. 507 (A), Rud. 1335 *ĭd quod*; Trin. 413 *quĭd quod*; Merc. 1023, Stich. 67, 182 *sĭquis*. [1])

Simul autem pro *aiebat* legendum est *aibat*. Alii loci ubi perverse illius verbi forma trisyllaba tradita est hi sunt: Bacch. 268, Capt. 561, Cist. 143, 585, 607, Pseud. 1083, 1118.

vs. 490 sqq.

L. Memento promisisse te, si quisquam hanc liberali
Causa manu assereret, mihi omne argentum redditum [iri,
Minas triginta. CA. Meminero, de istoc quietus esto.
Et nunc idem dico. CV. Et commeminisse ego haec [volam te.
CA. Memini, et mancupio tibi dabo.

Versum 493 corruptum esse iam diu est intellectum; offendunt hiatus post *dico* et desideratur caesura. Variis modis viri docti versum emendare conati sunt. Lachmann ad Lucr. p. 389 ut legatur suadet: „set haec commeminisse ego volam te"; Müller [2]): et tum commeminisse"; Ussing scribit: „Et commeminisse ego quoque haec"; Goetz: „Atque ego conmeminisse haec"; Leo: „Et quidem meminisse". Abraham [3]) denique coniecit:

1) Cf. Skutsch 'Plautinisches und Romanisches' p. 9.
2) Plautinische Prosodie p. 636.
3) Studia Plautina. Jahrbücher für classische Philologie, Supplementband XIV, p. 217 sq.

Digitized by Google

„Et ibi quom meminisse". Quarum coniecturarum LACHMANNIANA et GOETZIANA propter ea, quae docuit KAEMPF de pronominum personalium usu atque collocatione [1]), statim sunt reiciendae; nam *ego haec* semper hoc ordine legi neque disiungi vir doctus ille demonstravit. Quod licet fortasse non obstet USSINGII coniecturae, tamen hanc quoque improbo et propter caesuram rariorem et quia quod magis sit placiturum habere mihi videor. Non minus improbandum est MUELLERIANUM *et tum*, quo exsistit versus sine caesura. ABRAHAM laudat MUELLERI *et tum*, quod ad sensum attinet: „ex verbis *et nunc* in sententiae principio positis sequitur et sententia monet, ut *et tum* vel simile aliquid item in sententiae principio positum a Curculione respondeatur, nam Curculio 'non mihi satis est', inquit, 'te nunc promissum repetere, sed potius eo tempore tu idem dicito, quo ego te hoc meminisse cupiam'. requirimus igitur *tum* post *et* atque in *com* latere *quom* facile concedimus. sed cum *tum* in numeros non quadret, alia vox eiusdem notionis circumspicienda est; propono *ibi*, quod correlativum particulae *quom* apud Plautum esse constat, atque de vocula *et* significante *etiam* nemo dubitabit, qui Plautinarum fabularum unam pellegerit; adde quod in hoc versu inter se respondent *et nunc* atque *et ibi quom*". Quam coniecturam ideo praesertim improbo, quod sic exsistit ellipsis vix ferenda. Etiam nego apud Plautum particulam *et* stare posse pro *etiam*. Laudat ABRAHAM annotationem BRIXII ad Capt. 1009: „*et tu* = a u c h du; so steht *et* = a u c h namentlich bei Erwiderung des Grusses und in ähnlichen

---

1) Berliner Studien III, 2.

Digitized by Google

Fällen. Men. 652. 1094. 1108. 1133. Poen. 1039. Stich. 90. Truc. 123. Bacch. 1106. 605. Most. 296. 397. 426. 529. Trin. 49. 444. Capt. 562. 574 f. 928". At et per se mirum videri potest tantum in reddenda salute talibusque in rebus *et* pro *etiam* poni et locis allatis a Brixio *et* videtur magis significare *etiam* quam revera significat:

Capt. 1009:

PH. Salve, Tyndare. T. Et tu.

i. e. tu me salvere iubes et ego te. Propter significationem particulae *et* in huiusmodi sententiis comparentur versus, quales sunt Mil. 230 sq.: „PA. Dico et recipio Ad me. PE. Et ego impetrare dico id quod petis"; ubi nemini in mentem veniet *et* vocis *etiam* vim habere; As. 190; 754; Curc. 659; Trin. 565.

Men. 1093 sq.: Sosicles dicit ad servum:

Perge operam dare, obsecro hercle; liber esto, si invenis
Hunc meum fratrem esse. M. Spero. S. Et ego item [spero fore.

Ubi si *et* pro *etiam* dictum statueremus, pleonasmum haberemus, ultro a nobis inductum.

Most. 429 sq.:

Clavem cedo atque abi intro atque occlude ostium,
Et ego hinc occludam.

Parum sincerus sermo esset, si *et ego hinc occludam* dictum esset pro *etiam ego occludam et quidem hinc.*

Trin. 444 sq.:

Tuam volt sororem ducere uxorem; et mihi
Sententia eademst et volo.

Hoc quoque loco pleonasmus esset, si *et* interpretaremur *etiam.*

Digitized by Google

Capt. 561 sqq.:

H. At etiam te suom sodalem esse aibat. T. Hau [vidi magis.
Et quidem Alcumeus atque Orestes et Lycurgus postea
Una opera mihi sunt sodales qua iste.

Hic habemus copulationem *et* — *et:* et Alcumeus Orestesque et Lycurgus. Alcumeus et Orestes arte iunguntur, quippe qui ambo sint matricidae.

Eodem modo *et* explicandum est Capt. 574.

Unus tantum est versus, ubi, si recte traditus esset, *et* significaret *etiam:* Men. 1133:

O salve, insperate multis annis post quem conspicor.
S. Frater, et tu.

Nusquam alibi, quoad scio, vocativus praecedit *et tu;* non ergo dubito transponere *et tu, frater*.

Satis demonstrasse mihi videor Plautum *et* non adhibere pro *etiam*. Iam redeo ad Curculionem. Ne Leonii quidem *et quidem* probare possum. Non enim fieri potest ut Curculio lenonem idem commoneat quod Lyco, nisi addat *itidem* vel *quoque* vel eiusmodi aliquid, ut recte vidit Ussing: aut addenda est talis vox aut aliud quid Curculioni dicendum est quam Lyconi. Quare primum compositum *commeminisse* servandum esse arbitror: Lyco dixit *memento;* Curculio aliquid dicit quod maiorem etiam vim maiusque pondus habeat: vult lenonem commeminisse i. e. 'bene meminisse' quae dixit. Quod leno, quamvis Curculio dixerit *commeminisse,* respondet *memini*, hoc et aliis locis defenditur et Poen. 726 sq.; atque *memini* confirmatur ad *commemini* etiam Pers. 176. Deinde *tibi* insero post *dico*. Dicit leno ad trapezitam: „meminero, de istoc quietus esto", tum se convertit ad

Curculionem: et nunc idem dico tibi"; ad quae Curculio: „et commeminisse ego haec volam te". Propter futurum *volam* conferatur Mil. 395: „narrandum ego istuc militi censebo", et Brixii annotatio ad hunc locum. Recte comparat vir doctus Hor. Epist. I, 14, 44: „quam scit uterque libens censebo exerceat artem", et Trin. 606: „non credibile dices". ubi *dices* iniuria mutatum esse videtur in *dicis*; significatur hoc: „non efficies ut ego credam quod dicis". Praeterea affert vir doctus Soph. O. R. 1077: *τοὐμὸν .... σπέρμ' ἰδεῖν βουλήσομαι.* Cf. Ewald Bruhn in appendice ad Sophoclem, ubi plura eiusdemmodi exempla afferuntur.

Vs. 494 Abraham offenditur tempore praesenti *memini*, quare id mutat in *meminero* delens *tibi*, quod non modo supervacaneum ei esse videtur, sed vix consentire cum usu Plautino; dativum opinatur postulaturum fuisse, ut simul accusativus (*hanc*) adiungeretur, quam sententiam his defendit locis; Curc. 617 et Pers. 589; verum haud facile mihi persuadebitur his locis illud demonstrari. Atque nullam causam esse, cur offendamur tempore praesenti *memini* posito iuxta futurum *dabo*, argumento est Mil. 1036: „memini et praeceptis parebo". *Memini* est *memoria teneo et tenebo.* Nota est res Plautum saepe praesens ponere pro futuro; praesens *memini* stat pro futuro As. 480, Aul. 259, Mil. 1036, Poen. 727, 767.

vs. 513 sqq.

CV. Indignis si male dicitur, male dictum id esse [dico,
Verum si dignis dicitur, bene dictumst meo quidem [animo.

Digitized by Google

Ego mancupem te nil moror nec lenonem alium quem-
[quam.

Vs. 515 USSING ponit post 498, RIBBECK [1]) post 504; LEO autem arbitratur scriptum eum esse ab eo, qui omitti vellet vs. 499—514. Ergo USSING et RIBBECK putant Curculionem post vs. 513 et 514, qui dicuntur ad lenonem, sine ullo transitu se convertere posse ad Lyconem verbis (vs. 516): „Lyco, numquid vis"? Mihi quidem hoc non admodum videtur verisimile. Immo vs. 515 ubi nunc legitur aptissimus est. Curculio lenonis verbis, quibus dicebat se mancipio daturum esse, inductus est ad longam contra lenones insectationem et astipulante Lycone ipsos quoque trapezitas praeter exspectationem convitiis onerat. Quid nunc magis ad rem est quam Curculionem, dum lenonem a se dimittit, paucis ea repetere quae illius impetus ansam dederunt, illisque eum verbis absolvere atque dimittere?

Eodem modo vs. 581 leno post altercationem, quae revera non ad rem pertinet, sic ad ipsam rem redit: „ego illam reddidi qui argentum a te attulit."

Aversus a lenone Curculio trapezitam appellat et „Lyco, numquid vis"? rogat. Tum sic procedit colloquium:

L. Bene vale. CV. Vale. CA. Heus tu, tibi ego dico.
CV. Eloquere, quid vis? CA. Quaeso, ut hanc cures,
[<ut> bene sit isti.
Bene ego istam eduxi meae domi et pudice. CV. Si
[huius miseret,
Ecquid das qui bene sit? CA. Malum. CV. Opust
[hoc qui te procures.

1) l. l. p. 101.

CA. Quid stulta ploras? ne time, bene hercle vendidi
[ego te;
Fac sis bonae frugi sies, sequere istum bella belle.
L. Summane, numquid nunciam me vis? CV. Vale
[atque salve,
Nam et operam et pecuniam benigne praebuisti.
L. Salutem multam dicito patrono. CV. Nuntiabo. —
L. Numquid vis, leno? CA. Istas minas decem, qui
[me procurem,
Dum melius sit mihi, des. L. Dabuntur, cras peti
[iubeto. —

In his versibus Ribbeckio[1]) molestum est quod Lyco et Curculio bis inter se valere inbent. Putat vs. 522—524 salvis reliquis deesse posse. Equidem neque supervacaneos neque molestos illos versus esse censeo. Roganti Curculioni Lyco animo adhuc acerbis commoto verbis, quae paulo ante ad eum sunt dicta, breviter praeciseque respondet: „bene vale", atque aeque breviter Curculio reddit: „vale". Mox autem Lyco, postquam prius leno Curculionem abiturum revocavit verbis: „heus tu", subito memor libertum militis adhuc esse iubendum salutem dicere patrono, quod neglectum detrimento sibi esse possit, atque par esse existimans prius rogare numquid velit, rogat: „Summane, numquid nunciam me vis?"

vs. 527 sqq. Postquam abierunt trapezita atque parasitus, leno haec secum loquitur:

Quando bene gessi rem, volo hic in fano supplicare.
Nam illam minis olim decem puellam parvolam emi,

1) l. l. p. 84 sq.

Sed eum qui mi illam vendidit numquam postilla vidi;
Periisse credo, quid id mea refert? ego argentum habeo.
Quoi homini di sunt propitii, lucrum ei profecto obiciunt.
Nunc rei divinae operam dabo. certumst bene me
[curare. —

In his quoque versibus Ribbeck [1]) dittographiam agnoscere sibi videtur: „Eine Dittographie" ait „wird es wohl auch sein, wenn Cappadox in seinem kurzen Monolog V. 527—532 zweimal, im Anfangs- und im Schlussverse ziemlich, obwohl nicht ganz dasselbe sagt, 527:

quandó bene gessi rem, volo hic in fano sup-
[plicare.

und 532:

nunc rei divinae operam dabo: certumst bene
[me curare.

Was nämlich den ersten dieser beiden Verse noch ausserdem verdächtig macht, ist, dass sich für den Eingang sehr viel mehr die andächtige Betrachtung *quoii homini dei sunt propitii, lucrum ei profecto obiciunt* (531) empfiehlt, welche jetzt sehr unbequem zwischen die zusammengehörigen 530 und 532 eingekeilt ist. Mir wenigstens würde folgende Anordnung weit besser gefallen:

quoii hómini dei sunt propitii, lucrum ei profecto
[obiciunt. 531
nam illám minis olim decem puellam parvolam emi.
[528 f.
sed éum qui mihi illam vendídit numquam postilla vidi:
periísse credo: quid id mea refert? ego argentum
[habeo. 530.

1) l. l. p. 86.

nunc rei divinae operam dabo: certumst bene me [curare. 532

Wenigstens hat man dem hübschen V. 531 schweres Unrecht gethan, wenn man ihn streichen wollte wegen seiner Ähnlichkeit mit dem albernen Satze 557. *quoi homini di sunt propitii, ei non esse iratos puto*, womit derselbe Cappadox bald darauf aus dem Tempel treten soll. Vielmehr ist diese dumme Parodie jenes behaglichen Spruches hier zu streichen. Der Interpolator hat bei der entsprechenden Situation (*postquam rem divinam feci* 558) daran erinnern wollen".

In quibus verbis haud multa sunt, quae se probabilitate commendent. Cur tandem verba: „quoi homini e. q. s." magis apta sunt initio quam fini soliloquii? Nonne potest poëta lenonem, postquam ipse sibi rationem fortunae suae reddidit, concludentem facere deos sibi esse propitios? Atque quid virum doctum movit ut statueret vs. 530 et 532 separari non posse? Loquitur sic leno: „quoniam bene gessi rem, volo supplicare; multo enim pluris virginem vendidi quam emi. Sed eum, qui eam vendidit, cum numquam iam viderim, verisimile est mortuum esse; non igitur magnum periculum est, ne umquam triginta minae sint reddendae. At sive periit, sive vivit, quid id mea refert? Nam argentum habeo (*beati possidentes!*) Manifestum igitur est deos mihi esse propitios, nam 'quoi homini di sunt propitii, lucrum ei profecto obiciunt.' Sed non iam cessabo, atque operam dabo rei divinae. Nam certum mihi est me bene curare."

Gaudeo Ribbeckium lepidum vs. 531 non cum Scaligero damnasse. Sed minuitur gaudium meum quod ei parcitur cum damno versus 557, quem versum non minus

Digitized by Google

genuinum esse quam vs. 531 persuasum mihi est. Versus neque insulsus est neque inepta parodia versus 531. Leno plenus est deorum propitiorum, quorum gratiam postquam iam expertum se esse credit in vendenda virgine, denuo sensit in re divina facienda. Nam re divina facta, dii eum monuerunt, ut decem minas peteret a trapezita, ne hic clam cum iis se subduceret. Propter illud monitum mirifico gaudio elatus, facere non potest, quin iterum gratum suum erga deos testetur animum, sed comica sententiarum conformatione in apodosi idem, quamquam aliis verbis, dicit atque in protasi:

quoi homini di sunt propitii, ei — non esse iratos puto.

Recte confert Leo Aul. 207:

Di me servant, salva res est. salvomst si quid non perit.

Quid causae interpolatori esse potuerit, cur propter similem rerum conditionem (*postquam rem divinam feci* vs. 558) suavem illam dulcemque versus 531 sententiam legentibus in mentem revocare vellet, prorsus me latet.

vs. 537 sqq. Therapontigonus et Lyco altercantes in scaenam prodierunt. Miles non medioeri ira affectus quod virgo a se empta alii tradita sit, trapezitae mortem minitatur, nisi statim reddat triginta minas. Gloriosis atque superbis militis verbis Lyco breviter atque sine ambagibus respondet, non sine parodia alterius verba imitans:

Non edepol nunc ego te mediocri macto infortunio,
Sed eopse illo quo mactare soleo quoi nil debeo.

Ad quae Therapontigonus:

Ne te mi facias ferocem aut supplicare censeas.

Ultimum enim versum recte editores tribuunt militi, licet in codicibus initio versus signum personae desit

Digitized by Google

atque EV verbis *aut* sqq., ante quae B spatium habet duarum litterarum erasarum, signum militis praemittant. Quod verum esse existimat LOMAN,[1]) excepto quod *aut* mutat in *an*. Secutus eum est RIBBECK,[2]) qui opinionem suam sic defendit: „schwerlich hatte der miles Veranlassung hierauf zu entgegnen: *ne te mi facias ferocem*. Hitze und Zorn des Andern abzulehnen war Sache des Lyco..... Der miles antwortet, da sich Lyco Grobheiten verbittet: meinst du etwa, ich soll dich demüthig anflehen: *an* (statt *aut*) supplicare censeas?" At Lyconis verba vs. 537 sq. mihi quidem minime irae sedandae idonea videntur. Immo iram militis etiam auctum iis iri exspectes. Quod etiam sensisse RIBBECKIUM ex ultimis eiùs verbis allatis apparet („da sich Lyco Grobheiten verbittet"). Non multum Lyconis interesse potest, utrum miles iracundus sit necne; nam huius gratiam utique perdidit, quoniam argentum, quod iam dedit, denuo daturus non est. Militi autem, cuius iracundia etiam aucta est insolentibus trapezitae verbis, verba: „ne te mi facias ferocem" aptissima sunt. Tamen sequens *aut* ne mihi quidem rectum videtur, atque miror LEONIUM id servasse. Neque enim persuaderi mihi potest *aut* dici posse pro *neve*. Quid *aut* in nostro versu significare debeat, docere possunt Poen. 395 sqq.: (obsecro te)

Ut tu huic irata ne sis a u t, si id fieri non potest,
Capias restim ac te suspendas cum ero et vostra familia.

As. 773: „ne illa minus aut plus quam tu sapiat," verba *minus aut plus* tam arte inter se sunt connexa, ut dici

---

1) Specimen critico-litterarium in Plautum et Terentium p. 34.
2) l. l. p. 90 sq.

Digitized by Google

non possit *aut* poni pro *neve;* item Poen. 18: „neu lictor verbum aut virgae muttiant."

Legendum igitur esse ego quoque pro *aut* censeo *an*, verum omnia danda militi et sic distinguendum:

Ne te mi facias ferocem. an supplicare censeas?

i. e. non te sino te mihi facere ferocem, nisi forte censes me supplicaturum esse.

vs. 543 sqq.

TH. Scire volo quoi reddidisti. L. Lusco liberto tuo,
Is Summanum se vocari dixit, ei reddidi,
Qui has tabellas obsignatas attulit. TH. Quas tu
[mihi tabellas,
Quos tu mihi luscos libertos, quos Summanos somnias?
Nec mihi quidem libertus ullust. L. Facis sapientius
Quam pars lenonum, libertos qui habent et eos
[deserunt.
Quid feci quod mandasti feci, tui honoris gratia,
Tuom qui signum ad me attulisset, nuntium ne
[spernerem.

Vs. 545 Weisium secuti plerique viri docti spurium putant. Nonnulli autem versum ἄμετρον emendare conati sunt. Loman [1]) et Ritschl [2]) pro *tabellas* in fine versus legunt *tabulas*, quod collocant in initio versus sequentis, et delent huius versus verba *tu mihi*. Sed vocem *tabulae* non idem valere atque *tabellae* et per se verisimile est et insuper demonstravit Schmidt [3]). Quod vero hic vir

1) l. l. p. 34.
2) Proleg. Trin. ed. I. p. 136.
3) Quaestiones de pronominum demonstrativorum formis Plautinis p. 58 sqq.

Digitized by Google

doctus proposuit non est magis probandum quam quod coniecerunt Loman atque Ritschl. Delet enim in fine versus *tabellas*, atque, etsi non ignorat Plautum in talibus interrogationibus substantivum repetere solere, tamen putat ad *quas tu mihi* facile cogitando suppleri posse *tabellas*. Quod non fieri posse neminem non sentire confido.

Etiam Niemeijer [1]) versum servandum esse censet, sed locum mutare iubet: „v. 545 wird selbst von den berufensten kritikern gestrichen. warum wurde er interpoliert? welche ist seine ursprüngliche fassung gewesen? tilgen wir ihn, so vermisse ich vor v. 551 *stultior stulto fuisti, qui his tabellis crederes* eine frühere deutliche bezeichnung der *tabellae*, ja es ist für mich zweifellos, dasz Lyco sie dem Therapontigonus übergeben hat. die untergeschobene *tabellae* sind ja die hauptsache (vgl. 347. 432), alles übrige ist unwichtig, ein scharfsinniger interpolator fürwahr, der diesen mangel fühlte! und dieser mann sollte seine interpolation so verkehrt zwischen v. 544 und 546 angebracht haben? nun kommt noch hinzu dasz v. 547 wunderlich nachklappt, dasz das *nec* ganz unverständlich ist, ich schreibe:

543 *scire volo quoi reddidisti. Lyc. Lusco liberto tuo,*
is Summanum se vocari dixit, ei reddidi.
546 *Ther. quos tu mihi luscos libertos, quos Summanos*
[*somnias?*
545 *Lyc. qui has tabellas obsignatas attulit. Ther. quas*
[*tu mihi*
<*das tabellas? nec tabellas tibi iussi a*
[*me adferrier*>

1) Neue Jahrbücher 1880 p. 428 sq.

547 *nec mihi quidem libertus ullust, Lyc.* <*tu*> *facis* [*sapientius*
quam latronum pars, libertos qui habent et eos [*deserunt.*
Ther. quid fecisti? Lyc. quod mandasti, tui <*ut*> [*honoris gratia*
tuom qui signum ad me attulisset, nuntium ne [*spernerem.*

v. 545 werden dem miles die *tabellae* gezeigt, er ruft lesend: 'was hast du gethan?' 'natürlich deinen wunsch erfüllt? bei der umstellung (vgl. 545 *qui*, 546 *quos*) gieng, wie so oft (zb. hinter 483, der, wie Jordan gezeigt, hinter 484 zu stellen ist), ein vers verloren, und das in den hss. stehende *tabellas* ist allerdings das scholion eines aufmerksamen lesers".

In quibus verbis licet sint quae probem, plura tamen omnino improbanda esse mihi videntur. Recte contendit vir doctus deleto vs. 545 ante 551 non satis aperte tabellas significari. Quod ad cetera attinet, quae disputat, prorsus ab eo dissentio. Neque credo Lyconem Therapontigono tabellas tradidisse, quod si fecisset, valde fuisset imprudens incautusque, neque versum 545 locum mutasse. Versum emendo delens vocem *attulit*, quam explicationis causa insertam esse verisimile duco, et transponens *tabellas tu mihi.* Miles iracundia inflammatus illis verbis *Lusco liberto* et *Summanum* et *tabellas*, trapezitam sermonem peragere non sinit, sed eum interpellans neque respiciens tabellas neque quicquam eas curans in haec erumpit verba:

quas tabellas tu mihi,
Quos tu mihi luscos libertos, quos Summanos somnias?

Digitized by Google

Non igitur cum LEONIO, qui item atque GEPPERT, USSING, GOETZ versum delet, statuendum est: „tabellas ostendenti aliter respondendum erat." Verum LEONIUM quoque deleto versu disertiorem desiderasse tabellarum significationem apparet ex eius annotatione ad vs. 549: „hic accuratius de tabellis et anulo referri oportebat, ut rectius (scil. quam GOETZ) de lacuna Muellerus et Ussingius cogitaverint, quae sic fere expleri possit (cf. 545): 'Ther. quoi dedisti? L. qui tabellas obsignatas attulit | a te: quod mandasti feci'; hic quoque locus decurtatus esse videtur".

Illud *nec* versus 547 minime sensu caret. Adnectuntur hac coniunctione verba sequentia praecedentibus, tamquam si dicatur: „loqueris tu de liberto meo neque mihi libertus ullus est". Cf. Capt. 783 sq.:

> Ad illum modum sublitum os esse mi hodie!
> Neque id perspicere quivi.

i. e. at factum est neque id perspicere quivi.
et Pseud. 937 sq.:

> Nam si exoptem, quantum dignu's tantum dent, [minus nihilo sit.
> Neque ego hoc homine quemquam vidi magis ma-[lum et maleficum.

i. e. tu dignissimus es, cui multa bona dentur, neque ego e. q. s.

Acerbe mordaciterque repondet Lyco:

> Facis sapientius
> Quam pars lenonum, libertos qui habent et eos [deserunt.

Tu enim negas omnino tibi libertum esse.

Digitized by Google

Offenduntur autem viri docti commemoratione lenonum. LAMBINUS vocem mutavit in *militum*, DOUSA in *latronum*, quo recepto FLECKEISEN transposuit *latronum pars*, videlicet non credens Sisennae, qui contendit poëtam in Rudente priorem syllabam vocis *latro* metri causa produxisse: Rufin. (Gramm. Lat. rec. KEIL VI, 2 p. 561): „Sisenna in Rudente sic...... postea sic: latronem producit metri causa". Quod verumne sit annon, statuere non ausim; sane non credo poëtam metri causa syllabam produxisse; si Sisenna in aliquo Plauti versu non corrupto invenit *latro* producta priore syllaba, hinc patet antiquitus eam syllabam natura longam fuisse aeque atque vocis eiusdem formae *latrare*. Verum quoniam vox *latro* non exstat in Rudente, viri docti Sisennae observationem rettulerunt ad nostrum locum Curculionis. Quod ut recte fecerint vereor. Etenim estne illud tam proprium latronum i. e. 'militum mercede conductorum' deserere libertos? Notum est inter patronum atque libertum exstitisse vinculum pietatis, atque patronum turpiter agere, si libertum deserat. Quid igitur, si Lyco dicere voluit: „tu facis sapientius quam pars lenonum; soli hi fere eorumque tantum pars ad eam turpitudinem veniunt, ut deserant libertos"? Inde quod cum latrone Lyco loquitur, non necessario sequitur eum quod facit Therapontigonus non comparare posse cum iis, quae nonnulli faciunt lenones. Cf. Pers. 433 sq., ubi leno Dordalus dicit ad servum Toxilum:

Mirum quin tibi ego crederem, ut idem mihi
Faceres quod partim faciunt *argentarii*.

Vs. 549 supra talem exscripsi, qualem praebet cod. B, qui eum Lyconi continuat. V E I autem versui praemittunt

Digitized by Google

signum militis, atque I et editio princeps verba *quod mandasti e. q. s.* tribuunt Lyconi. Pro priore *feci* I ante rasuram et V et editio princeps habent *fecisti.* Versum pluribus modis emendare conati sunt viri docti. Pylades ex editionis principis lectione:

TH. Quid fecisti? L. Quod mandasti feci, tui honoris [gratia

delet *feci*, Guyetus *tui.* Müller [1]) et Ussing arbitrantur nonnulla intercidisse, scil. interrogationem militis quid mandaverit atque responsum Lyconis. Quos Leonium secutum esse supra dixi, ubi simul indicavi, quid fere supplendum esse censeat. Goetz scribit:

TH. Quid nunc? L. Quod mandasti feci, tui ut honoris [gratia.

Schoell [2]) „*fecisti* (sic I ante rasuram ut vid. cum F Z) cum ex V auctoritatem nanciscatur pro *feci* (sic B E), at *feci* iteratum supra versum" (in Vossiano enim *feci* scriptum est supra *tui*) „auctoritate vacillet," verum esse existimat *quid fecisti* et cum Luchsio [3]) et Goetzio post *tui* inserit *ut.* Niemeyeri opinionem interpretationemque iam supra commemoravi.

En sat multas variasque sententias. Tamen earum ullam esse veram negare non dubito. Militem post ea quae antecedunt rogantem facere: „quid fecisti?" ineptum esse non fugit Ussingium. Neque minus pravum est Goetzianum *quid nunc?*, quod miror Ribbeckium [4]) probare, quippe qui rectissime vim illius enunciationis perspexerit: „die

1) Plautinische Prosodie p. 701 sq.
2) Praef. ad Cas. p. XXXVI ann.
3) Hermes VIII p. 111 sq.
4) l. l. p. 91 sq.

Digitized by Google

Formel *quid nunc?* .... kommt dem zu, der nach Erledigung einer Frage die Initiative ergreift sei es zu einer neuen Frage oder zu einer Forderung, welche die Consequenz der bisherigen Verhandlung ist," atque sic defendere: „Curc. 549 kommt der miles auf seine Forderung mit einfachem *quid nunc?* zurück, worauf Lyco ablehnend erwidert: *quod mandasti feci* u. s. w." *Quid nunc?* eius est, qui aliquam rem nunc post ea quae dicta vel facta sunt satis tractatam vel satis planam esse putat, nunc contra atque aliquanto ante nihil vel saltem nihil aequi contra eam in medium posse proferri. Etiam melius vis enuntiationis apparebit, si inspexerimus locos, ubi invenitur: Amph. 433, 755, As. 661, 711, Aul. 255, Bacch. 854, 884, 1167, Capt. 930, Cas. 78, 610, 742, 935, Curc. 605, Ep. 148, 517, Mil. 341, 531, 545, Most. 172, 678, 722, 793, 815, Pers. 144, 654, Poen. 798, Pseud. 155, 1015, 1328, Stich. 263, Trin. 468, 572, Truc. 4. Nostro autem loco nihil Lyco et Therapontigonus inter se sunt locuti, unde hic efficere possit alteri rem planiorem esse quam paulo ante eique magis esse persuasum de aequitate postulati sui.

In dirimenda quaestione proficiscendum esse arbitror a lectione codicis B, qui recte praebere mihi videtur *quid feci* recteque totum versum continuare Lyconi. Alterum autem *feci* insertum esse duco, postquam post *quid feci* exciderit vocula *nisi*. An inde, quod in V *feci* scriptum est supra *tui*, effici potest Vossianum descriptum esse ex exemplari, in quo deerat alterum *feci*, et hoc aliunde ascriptum esse?

Si postremo cum Luchsio[1]) post *tui* inserimus *ut*, quod

1) „Ueber die beliebte Voraussendung eines *ut*, sobald *ne* erst später beim Verbum nachfolgt, vgl. (abgesehen von der Verbindung *ut nequis*

Digitized by Google

eo loco intercidisse non temerarium est statuere, hunc nanciscimur versum:

Quid feci nisi quod mandasti, tui ut honoris gratia e.q.s.

Post verba: „facis sapientius quam pars lenonum, libertos qui habent et eos deserunt" Lyco quae non ad rem pertinent missa faciens ipsamque rem aggrediens, scilicet is quoque Curculionis fraudem ignorans etiam atque miratus quod miles tam insolite mireque se gerat, rogat: „quid feci e. q. s.?" [1]) Verba *tuom qui signum* pronuntians simul ipsum signum monstrat. Tum miles:

Stultior stulto fuisti, qui h i s tabellis crederes.

Pro *his* quod extat in I, B E V habent *iis*. Leo sequitur Ussingium delendum esse pronomen contendentem apparere ex Lyconis responso; „nec enim Curculionis tabellis, sed omnino tabellis vel res publica vel aliorum privatae res geruntur". At nonne miles certas tabellas indicare potest atque Lyco de tabellis in universum loqui pergere?

Vidimus, nisi omnia me fallunt, de loco decurtato non esse cum Leonio cogitandum.

Ut etiam redeam ad verba Niemeijeri supra citata, non intelligo, si duo versus locum mutent, periculum maius esse ne quis versus excidat. Quod contendit id saepe factum esse, vellem plura laudasset exempla. Nam neque quod affert opportune electum est (quid de illis

---

etc.) ferner: Rud. III 2, 15/20 *Teque oro et quaeso — ut te ne pigeat dare operam mihi;* Trin. III 2, 63 *sed ut inops infamis ne sim;* Mil. II 2, 72 *quae hic sunt visa, ut visa ne sint, facta ut facta ne sient;* Poen. I 2, 180 *obsecro hercle te — ut tu huic irata ne sis;* (Cas. II 8, 77 Quoique id paratumst ut paratum ne siet)."

1) Vidi iam Seyffertum idem coniecisse.

Digitized by Google

versibus censeam, in iis tractandis dixi) neque recte reddit sententiam JORDANI, utpote qui vs. 483 interpolatum esse existimet.

vs. 560. Leno re divina facta denuo in scaenam prodit de suis rebus secum loquens. Tum libri haec dant verba militi:

Iusseram salvere te.

Salutationis autem nullum exstat vestigium. Quare ACIDALIUS *iusseram* mutavit in *iusserim*, quod probat USSING: „est enim coniunctivus non satis scientis, utrum salutare velit an non". Mihi vero *iusserim* admodum languidum videtur. Neque tamen magis probanda videtur RAUTENBERGII sententia, qui teste SEYFFERTO [1]) post vs. 556 lacunam statuit, quam sic fere explendam esse censet: <sed lenonem video huc ire: heus tu, iubeo salvere te>. Neque enim militis esse arbitror prius salutare, neque si salvere iussisset, id tam submissa fecisset voce, ut leno non audiret. Conicio legendum esse: „iuben an non salvere me"? Cf. vs. 566, Capt. 846, atque LEO ad Bacch. 269. Indignatus quod leno se non conspiciat, asperrime ei imperat ut se salvere iubeat, atque leno non sine irrisione iussum exsequitur. *Iuben an non* in *iusseram* corruptum esse statuere non ita audax iudico, quo vitio in textum recepto *me* in *te* mutatum est.

vs. 564 sqq. Post salutationem miles rogat lenonem, quid apud eum agat mercimonium suum. Respondetur ei:

---

1) Litteraturberichte uber Plautus, BURSIAN 47.

Digitized by Google

Nil apud me quidem,
Ne facias testis, neque equidem debeo quicquam.
[TH. Quid est?
C. Quod fui iuratus feci. TH. Reddin an non virgi-
[nem e. q. s.

Annotat Leo: „565 sq. colloquii decurtati vestigia habent". Quod qua causa arbitretur, omnino non intelligo. Verba *ne facias testis* recte interpretatur Gronovius: „Qui simpliciter monet accipiendum: ne in testibus contra me adducendis aut subornandis multum ac incassum labores: lusit operam. Si quis in re dubia aut unde lis oriri posset, audiebat adversarium imprudenter dicentem, quo convinceretur aut teneretur, praesentes appellabat, meminissent hoc ab isto dictum, inque eam rem, ubi opus foret, testimonium perhiberent. Repentinum hoc erat, et nullus locus subornandi. Terent. Adelph. 2. 1. *Ubi me dixero dare tanti, testes faciet illico vendidisse me.* Noli sperare verbis me abs te circumventum iri, ut si quid ambiguum dixero, tu arreptum id appellatis testibus mandes". Leno enim, nimirum ignarus se falso militis liberto virginem tradidisse, metuit ne miles circumvenire se velit. Ideo statim diserte dicit: „nil apud me quidem"; non rogat: „quod mercimonium"? Tum enim concessisse dici poterat aliquod mercimonium apud se esse, ita ut miles testes facere posset lenonem fassum esse mercimonium aliquod militis esse apud se. Cum admiratione interroganti militi: „quid est?" leno respondet id quod fert primoribus labris, quippe quod haud dubie ei raro contigerit: „quod fui iuratus, feci." Miles autem magis atque magis irritatus neque nimirum lenonis iusiurandum quicquam curans, quin etiam illo memorato etiam

Digitized by Google

magis inflammatus, iram suam evomit dicendo: „reddin an non virginem?"

vs. 581 sqq. Rogat Therapontigonus lenonem contendentem se virginem ei tradidisse, qui argentum ab ipso attulerat:

Quis is est homo?
C. Tuom libertum esse aiebat sese Summanum. TH. [Meum?
Attat, Curculio hercle verba mihi dedit, cum cogito.
Is mihi anulum subripuit.

Leo sententiam Ribbeckii [1]) arripit censentis inter vs. 582 et 583 plura intercidisse. „Wie kommt" ait Ribbeck „der miles zu dieser schnellen Offenbarung, ehe er noch erfahren hat, wie jener Summanus aussah, und wie er sich legitimirte? Zwar hat ihm schon V. 544 der Wechsler berichtet, dass er das Geld einem einäugigen Freigelassenen von ihm, Namens Summanus, ausgezahlt, aber er hat, ohne darauf weiter einzugehen, einfach erklärt, er habe keinen Freigelassenen und kenne keinen Summanus: *quos tu mihi luscos libertos, quos Summanos somnias? Nec mihi quidem libertus ullus est* (546 f.). Um zu errathen, wer dahinter stecke, musste ihm der Weg gewiesen werden. Gewiss ist zwischen V. 582 und 583 Mehreres ausgefallen: eine Personalbeschreibung des Parasiten, ein wenigstens kurzer Bericht, dass er einen Brief von seinem vermeintlichen Herrn mit dessen Siegel gebracht habe." At rogo: num miles tam stultus censendus est, ut ne nunc quidem post omnia quae facta sunt, perspiciat,

1) l. l. p. 82 sq.

Digitized by Google

quis os sibi subleverit? Curculioni narraverat Lyconi se mandasse, ut daret operam, ut virgo traderetur ei, qui tabellas suo anulo obsignatas a se attulisset (vs. 346 sqq.); Curculio post cenam subito abierat; post Curculionis discessum anulo privatum se compererat; Curculio denique Epidaurius erat atque rei sciscitandae cupidissimum se gesserat: ut opinor sufficiebant haec ut Curculionem illum sibi nexuisse dolum intelligeret. Primum, cum Lyco sibi narraret, quid factum esset, hunc se decipere crediderat, nunc autem, cum leno eadem commemorat, cogitare incipit (vs. 583 „cum cogito") et extemplo intelligit, quis sit, qui verba sibi dederit. Cf. Ter. Eun. 727: „Attat data hercle verba mihi sunt" atque Donati annotatio ad hunc versum: „attat interiectio est paulatim percepti atque intellecti mali."

Digitized by Google

CAPUT XI.

De Curculionis actu quinto.

vs. 599 sqq. Curculio vix foras se abripuit, ut effugiat Planesium, quae, postquam conspexit anulum, neganti se dicturum esse, unde illum haberet, eum eripere volebat. Virgo autem cum Phaedromo ei instat:

PL. Phaedrome, propera. PH. Quid properem? PL. Pa-
[rasitum ne amiseris.
Magna res est. PH. Nulla est mihi, nam quam habui,
[absumpsi celeriter.
PL. Teneo. PH. Quid negotist? PL. Rogita, unde
[istunc habeat anulum.
Pater istum meus gestitavit * C. At mea matertera.
PL. Mater ei utendum dederat. C. Pater † uois ru-
[sum tibi.
PL. Nugas garris. C. Soleo, nam propter eas vivo
[facilius.
PL. Quid nunc? obsecro, parentes ne meos mihi
[prohibeas.
C. Quid ego? sub gemmane abstrusos habeo tuam
[matrem et patrem?

Digitized by Google

PL. Libera ego sum nata. C. Et alii multi, qui nunc [serviunt.

PH. Enim vero irascor. C. Dixi equidem tibi, unde [ad me hic pervenerit.

Quotiens dicendum est? elusi militem, inquam, in alea.

Vs. 600 Ribbeck [1]) verba: „nulla est mihi e. q. s." vult dare parasito: „es stimmt weder zu der Hingebung eines beflissenen Liebhabers noch zu der Haltung eines jungen Mannes von Stande, auf die Versicherung *magna res est* (es kommt viel darauf an) mit einem scurrilen Wortspiel zu antworten, welches nicht einmal zutrifft, denn das Geld, auf welches dieser Scherz anspielt, hat er überhaupt weder selbst in Händen gehabt noch demzufolge ausgeben können. Das war ja vielmehr Curculio, und ihm, der bei Seite stehend oder sich umwendend die eifrigen Worte der Planesium vernommen hat, geziemt diese durchaus parasitenhafte Zwischenbemerkung". Nequaquam viro docto astipulari possum. Nam quod putat alludi ad argentum, quod pro Planesio datum sit, hoc nego, neque illud Curculio magis tenuit manibus quam Phaedromus: solutum est a trapezita. Neque haec pecunia dici poterat absumpta esse. Aliam igitur spectari pecuniam manifestum est. Non autem est parasiti umquam possedisse pecuniam. Verba omnino apta sunt iuveni, quem ita vixisse ut multi vivunt iuvenes, talemque fuisse quales sine dubio multi fuerunt inter spectatores, quid mirum? Quamquam concedo, si psychologiae rationem habeamus, illa verba non esse hominis amori dediti; sed talia saepius apud Plautum observantur, atque

1) l. l. p. 91.

Digitized by Google

Phaedromus secum loquens, non respondens Planesio fingendus est. Tales facetiae inseruntur spectatores delectandi causa. Cf. Truc. 375 sq., ubi amator, cum paulo ante, nunc dum id habet quod tantopere expetivit, praedicaverit suas fortunas praestare fortunis Iovis (vs. 372, vid. etiam vs. 344 sqq.), sic loquitur: „Utinam a principio rei item parsisses meae Ut nunc reparcis saviis".

Vs. 602 post *at* Pylades inserit *pol*, Ussing *prius*, Leo cogitat de *olim* inserto post *gestitavit*, ego potius Curculionem rogantem facio: „tuus?" (cf. vs. 582) et tum pergentem: „at mea matertera."

Vs. 603 ex corrupto *uois* Gruterus fecit *tuos* et *tibi* mutavit in *mihi*, quae recepit Goetz, ego vero minime istam probo rationem. Si Curculio diceret: „pater tuos rursum mihi," non responderet Planesium: „nugas garris," sed interrogaret parasitum de patre. Ussing scribit: „Pater *ergo igitur* sum tibi," sed ne hoc quidem aptum est post Planesii verba: „mater ei utendum dederat," rectius legeretur post verba: „pater istum meus gestitavit." Leo nescit an haec omnia Curculionis sint: „At mea matertera, mater ei utendum dederat, patruos eius rursum sibi," quod me quidem non intelligere fateor. Ego solum *uois* corruptum esse censeo ex *tuos*, et interrogationem hanc esse arbitror: deridens rogat Curculio: „pater tuos rursum tibi?" Planesium autem recte respondere potest: „nugas garris;" nam nimirum nugae sunt opinari patrem anulum, qui virili aptus erat digito, utendum dedisse filiae eique parvae puellae.

Vs. 605 verba: „quid nunc?", quae libri recte continuant Curculioni, Ribbeck, quem secutus est Leo, dedit Planesio. Explicat vir doctus vim enuntiati *quid nunc*? (vid. supra

Digitized by Google

ad vs. 549); tum sic pergit ad demonstrandum verba non Curculionis esse posse: „Nun ist Curculio gar nicht in der Lage, die für ihn unbequeme Untersuchung weiter fortzuspinnen oder Consequenzen zu ziehen, wohl aber Planesium, welche die erste Frage nach der Herkunft des Ringes wieder aufnehmend den Parasiten beschwört, den eigentlichen Besitzer desselben zu nennen und damit das Räthsel, wer ihre Eltern seien, zu lösen. Auf ihr *quid nunc?* bezieht sich dann die spöttische Gegenfrage des Curculio 606: *quid ego?*" At numquam is, qui rogat *quid nunc?*, ullius quaestionis porro exsequendae cupidus est. Immo, potius finem facere vult. Omnino igitur *quid nunc?* aptum est Curculioni eique reddendum est. Postquam respondit se solere nugas agere, rogat: „quid nunc?" i. e. 'nunc iam nihil, opinor, habes, quare rogare pergas; nam quicquid rogas, ego nugas garrio.' Nostro loco simillimus est Pers. 144 sq. Hic quoque interrogationi: „quid nunc?" obsecratione respondetur.

Verba: „enim vero irascor," quibus codices signum Planesii praemittunt, Seyffert [1]) ab ea aliena esse perspexit; nam verba sequentia „ad Planesium ut dicat Curculio, nullo modo, ut videtur fieri potest; neque enim etiam mulieri unde anulum haberet roganti dixit. At Phaedromo dixit, atque huic „enim vero irascor" verba adtribuenda sunt." Ribbeckii enim probare nequeo sententiam, verba: „enim vero irascor" Planesio vindicantis, post haec autem nonnulla intercidisse putantis, quibus Phaedromus a parasito instanter postulet, ut verum dicat de anulo; verba enim „enim vero irascor" a Phaedromi

1) Stud. Plaut. p. 3.

Digitized by Google

persona aliena esse: nam „Phaedromus hat sich bisher gar nicht an der Verhandlung betheiligt, eine solche Unmuthsäusserung aus seinem Munde würde in der Luft schweben; und das plötzliche Verstummen der Planesium bliebe unerklärt." Phaedromi indignatio minime vana est: irascitur, quod parasitus asseveranti virgini se liberam esse natam tam frigide crudeliterque respondeat: „et alii multi, qui nunc serviunt." Parasitus autem: 'nolo eam mihi molestam esse, tu ei narra, si tibi lubet, dixi equidem tibi, unde habeam, nolo bis idem narrare.'

vs. 610 sqq. Therapontigonus, sive scaenam reliquit post vs. 590, ut quaereret Curculionem, sive in diversa parte astitit, nunc demum praesentiam suam significat verbis:

Salvos sum, eccum quem quaerebam. Quid agis, bone [vir? C. Audio.
Si vis tribus bolis, vel in chlamydem. TH. Quin tu [is in malam crucem
Cum bolis, cum bulbis?

Quid illud *bulbis* hic sibi velit, omnino me fallit, neque magis mihi fit perspicuum annotatione Ussingii: „luditur in similitudine soni, ad parasiti personam non inepte, quippe cuius mens tota in cibis occupari soleat." Veri quidem mihi videtur simile hic requiri vocem, cuius in soni similitudine luditur, sed bulborum mentio hinc omnino aliena est. Nam quod parasiti mens tota versatur in cibis, eane causa esse potest, cur in malam crucem ire iubeatur cum bulbis, nisi prius bulborum mentio facta est? Verum praebet cod. E, scil. *bullis*, i. e. *nugis*, *tricis*. Conferantur Varr. de r. r. 1, 1: „si est homo bulla, eo magis senex;" Petr. 42: „nos non pluris sumus quam bullae;" Pers.

Digitized by Google

Sat. 5, 19: „bullatis nugis," ubi iniuria meliores codices *pullatis* praebere mihi videntur.

vs. 618 sqq. Therapontigonus Phaedromo roganti, quis ei virginem mancipio dederit aut unde emerit, respondet:

Ego quidem pro istac rem solvi ab trapezita meo.
Quam ego pecuniam quadruplicem abs te et lenone [auferam.
PH. Qui scis mercari furtivas atque ingenuas vir- [gines,
Ambula in ius. TH. Non eo. PH. Licet [te] antestari? [TH. Non licet.
PH. Iuppitur te, miles, perdat, intestatus vivito;
At ego, quem licet, te. Accede huc. TH. Servom [antestari? CV. Vide.
624. 625 Em ut scias me liberum esse. Ergo ambula in [ius. TH. Em tibi.
C. O cives, cives. TH. Quid clamas? PH. Quid tibi [istum tactio est?
TH. Quia mihi lubitum est. PH. Accede huc tu, ego [illum tibi dedam, tace.
PL. Phaedrome, obsecro serva me. PH. Tamquam [me et genium meum.

Sic scribit hos versus distribuitque personas Leo, sed pluribus locis discessit a codicibus. Videamus, quatenus sequendus sit. Vs. 619 omnes editores continuant militi, iniuria siquid video reicientes sententiam Demelii [1]), qui eum tribuit Phaedromo. Omnino enim versus a milite

1) Plautinische Studien, Zeitschrift für Rechtsgeschichte I p. 352 sq. et 360 sqq.

Digitized by Google

alienus est. Quomodo enim is, qui non ignorat unum Curculionem in culpa esse (vs. 583), minitari potest se quadruplicem pecuniam ablaturum esse a Phaedromo et lenone? Leno promiserat, si quisquam virginem liberali causa manu assereret, quod nunc facit Phaedromus, se omne argentum, minas triginta, redditurum esse (vs. 490). Patet igitur militem non quadruplicem pecuniam postulare posse, neutiquam autem a Phaedromo. Cur autem, si verba militis essent, potissimum quadruplex pecunia postularetur? Accedit quod miles dicere debebat: „repetam", non „auferam." Manifestum est iniuria Ussingium negare hic mentionem fieri actionis: „actionum" ait „nulla omnino mentio est. Miles ipse se negat in ius iturum esse vs. 621, nec iudicio, sed vi et armis quadruplicem pecuniam se ablaturum minatur." Atqui Phaedromus is est, qui actionem intendit; hic virginem in libertatem vindicat. Huic tribuendus est vs. 619, qui arte est iungendus cum vs. 620. Cf. Demelius: „schon dasz die 'pecunia quadruplex' und das 'scis mercari furtivas' in zwei auf einander folgenden Zeilen beisammen stehen, legt es nahe in der zweiten Zeile die Begründung der ersten zu suchen". Quod vs. 620 in editionibus iungitur cum *ambula in ius* versus sequentis, admodum languidum mihi videtur. Iniuria vero viros doctos arbitror coniecturam Pii esse amplexos, qui vs. 620 pro codicum *scies* scripsit *scis*. Quod exstat in B ante correctionem *scias*, verum esse puto, ita ut dicat Phaedromus:

Quam ego pecuniam quadruplicem abs te et lenone [auferam,
Qui scias mercari furtivas atque ingenuas virgines.

Digitized by Google

Ultima acerbe dicuntur pro 'ut docearis non iam mercari e. q. s.', sive: „ut posthac caveas mercari e. q. s." Cf. Bacch. 112 sq.:

Propterea hoc facio, ut suadeas gnato meo
Ut pergraecetur tecum, tervenefice.

Ad quem autem Phaedromus se convertit dum rogat: „licet antestari"? Manifestum est non ad militem, quippe qui non simul possit accusari et testis esse. Num ad Curculionem? Quae sententia est Leonii, qui annotat: „interrogat parasitum, respondet miles non rogatus". Quod verum esse non posse documento esse mihi videntur versus 623 verba: „at ego, quem licet, te (*scil. antestor*"), quae contra codices, qui ea dant militi, recte Ussing tribuit Phaedromo compellanti Curculionem. Ex quibus verbis apparet Phaedromum prius alium quendam antestatum esse, quem antestari licere miles negavit. Quo modo autem illa verba Goetz et Ribbeck [1]) dare potuerint Curculioni, omnino non intelligo. Potestne Curculio illis verbis auriculam praebere, sicut putat Ribbeck? Quid vero tum mente supplendum est? Perspicuum est verba Phaedromi esse aeque ac *accede huc*.

Redeo ad quaestionem, ad quem dicantur verba: „licet antestari"? Rem expedivit Ribbeck, qui perspexit Phaedromum se convertere ad unum ex militis satellitibus. Sed non respondet ipse satelles, verum miles. Nam quod Ribbeck probabilius rectiusque ducit ipsum satellitem loquentem inducendum esse eidemque esse tribuenda verba: „servom antestari"?, longius hic procedere virum doctum puto. Optime decurrunt omnia si miles respondet

1) l. l. p. 95.

Digitized by Google

pro satellite eumque vetat testem esse, quo facto Phaedromus illi obicit exsecrationem:

Iuppiter te, miles, perdat, intestatus vivito.

miles coniectura est Leonii pro *male*; comparat vir doctus vs. 720, Capt. 909; Fleckeisen legit ad numeros explendos: *at te Iuppiter;* in Aldina legitur *disperdat* pro *perdat.* Ussing et Goetz sequuntur Guijetum delentem versum. At probari istud non potest nihil omnino Phaedromum recusanti militi respondere, sed statim se convertere ad Curculionem. Quod Ussing arbitratur vocem *intestatus* hic non recte adhiberi, ne hoc quidem concedo; colligit vir doctus vocis significationem ex vs. 695, ubi „*intestatus* reus dicitur, qui, quum intestatio facta non sit, in ius rapitur; sed hoc pro obprobrio obiici non potest; qui hunc versum (*i. e. vs. 622*) scripsit, aliud simul significaverit necesse est, sine dubio idem, quod Mil. 1407 (*ed. Leon. 1416*), testiculis carentem; nec Plautum hoc scripsisse arbitror, sed histrionem aliquem illius loci memorem frigidissimum iocum intrusisse". At quidni nostro loco *intestatus* dici potest pro *intestabilis*? sicut *invictus* dicitur non solum is, qui non victus est, sed etiam qui vinci non potest.

Dum Curculio accedit, ut antestationi se praebeat, miles indignans clamat: „servom antestati?" Quae verba, quae in codicibus Curculionis sunt, recte militi tribuit Ussing. Ut iam supra vidimus, haec quoque satellitis esse arbitratur Ribbeck: nam neque fieri posse ut verba sequentia: „vide. em ut scias me liberum esse" ad Therapontigonum spectent, et hunc probe scire Curculionem non esse servum. At rogo, num verisimile sit hoc minus notnm habuisse satellitem militis. Nonne potest miles,

Digitized by Google

quamvis non ignoret Curculionem liberum esse, ira impulsus inimici laedendi gratia contumeliose dicere: „servom antestari?"?

In interpretandis verbis: „*em ut scias me liberum esse*" errare Ribbeckium opinor; non enim assentior viro docto illis verbis Curculionem adversario alapam infligere. Recte explicat Ussing: „Curculio aurem Phaedromo porrigit, et militem spectare iubet, quo modo se adolescens antestetur, ut sciat se liberum esse".

Verba: „ergo ambula in ius", quae Ribbeck dat Phaedromo, aptius continuantur Curculioni propter sequentia *em tibi*, quibus Therapontigonus colaphum impingit parasito, ita ut statuendum sit hunc eum in ius vocare. Parasitus auxilium implorat a civibus clamans: „o cives, cives". Miles vero, quasi suo iure hominem verberaverit, miransque quod parasitus etiam clamare audeat, rogat: „quid clamas?" Apparet ergo me minime cum Ribbeckio censere ridicule illud rogari a milite, quare eum non sequor verba tribuentem Phaedromo: „es wäre nun lächerlich" ait „wenn Therapontigonus, der ihn eben geschlagen hat, ganz unbefangen fragen sollte: *quid clamas*? Das ist Sache des Phaedromus, der nicht gesehen hat, was zwischen den Beiden vorgefallen ist. Erst als er den Curculio erblickt, der auf die Seite gelaufen sein und seinen Schmerz und Grimm durch höchst verständliche Gesten ausgedrückt haben wird, versteht er um was es sich handelt und stellt den miles zur Rede: *quid tibi istum tactiost*?" Illam interrogationem: „quid clamas"? militi si vindicamus, vis comica non deest. Ne id quidem intelligi potest, quomodo Ribbeck, cum verba: „ergo ambula in ius" tribuat Phaedromo, quibus vix

Digitized by Google

prolatis miles parasito colaphum inflixit, ita ut fieri non possit, quin Phaedromus id viderit, arbitrari queat hunc illud non animadvertisse.

Post ferox militis responsum: „quia mihi lubitumst" Phaedromus ab hoc se avertit et Curculionem his alloquitur verbis: „accede huc tu, ego illum (*i. e. militem*) tibi dedam, tace", sed ita ut miles non audiat quod dicitur. Recte enim RIBBECK refellit sententiam USSINGII Phaedromum militem alloqui censentis: „iam intelligit", ait „eum potius bonis verbis, quam minis placari debere; *illum,* Curculionem; eum se promittit militi dediturum, nec esse, cur amplius clamet". At num clamavit miles? Atque num probari ullo modo potest Phaedromum *accede huc tu* dicere ad militem, quocum modo sit locutus et quem discessisse e nulla re appareat?

Planesium ubi audivit quae Phaedromus dixit parasito, metuens, ne, si miles dedatur Curculioni, nulla iam spes sit quidquam se de parentibus cognituram, supplex „Phaedrome, obsecro, serva me" clamat. Quae verba codices dant Curculioni, sed Planesii esse perspexit SEYFFERT [1]). USSING quidem Curculioni ea vindicat, sed et propter ea, quae iam dixi, et propter Phaedromi responsum: „tamquam me et genium meum", quae verba aptissima sunt, si amicam, minus autem conveniunt, si parasitum alloquitur, Planesii esse illud: „Phaedrome, obsecro, serva me" statuendum est.

vs. 633 sq.

C. Ut fastidit gloriosus. TH. Mitte istum, ego dicam [omnia.

---

1) l. l. p. 3.

Digitized by Google

C. Nihil est quod ille dicit. PL. Fac me certiorem, [obsecro.

Ussingio si credimus, in his versibus „personarum notae pessime turbatae sunt. *Mitte istum* Curculio dicit; suadet ut fastidientem militem non curent; se promittit omnia dicturum. Proximum versum codd. inter Curculionem et Phaedromum dividunt; totus Planesii esse videtur. Illa nugas parasiti non curat; quid miles dicere possit, audire studet; itaque eum denuo obsecrat". Ego autem codicum divisionem recte se habere arbitror, excepto quod vs. 634 cum Leonio sequor Lambimum, qui verba: „fac me certiorem, obsecro", quae in codicibus Phaedromi sunt, dedit Planesio; huius enim est militem obsecrare, non Phaedromi. Quomodo enim fieri potest, ut verba: „mitte istum, ego dicam omnia" ascribantur Curculioni, quippe qui iam omnia dixerit atque etiam vs. 609 dicat: „quotiens dicendum est? elusi militem, inquam, in alea"?

Tamen in his versibus restat aliquid, quod mihi quidem nondum est perspicuum. Non enim intelligo, quid sibi velit illud *mitte istum*. Nam non significare potest *amitte istum i. e. Curculionem;* nam et hic etiam postea adest in scena (cf. vs. 654 sq.: „sanan es, quae isti committas?") neque ulla res documento est fieri quod iubetur. Pro *istum* conicio *ista*, ita ut miles dicat: „mitte ista, i. e. noli iam precari atque genua amplecti." Quod quominus accipiamus, non impedit quod Planesium etiam vs. 634 supplicare pergit: „fac me certiorem, obsecro." Sic enim significat et ardenter id se expetere et fidem non habere parasito dicenti: „nihil est quod ille dicit."

Digitized by Google

vs. 635 sqq.

TH. Ego dicam, surge. hanc rem agite atque animum [advortite.
Pater meus habuit Periphanes Planesium.
Is prius quam moritur mihi dedit tamquam suo,
Ut aequom fuerat, filio. PL. Pro Iuppiter.
TH. Et isto me heredem fecit. PL. <O> Pietas mea,
Serva me, quando ego te servavi sedulo.
Frater mi, salve. TH. Qui credam ego istuc? cedo,
Si vera memoras, quae fuit mater tua?

Iam Acidalius vidit vs. 636 *Planesium* e corruptela originem traxisse; nam miles non solum alloquitur Planesium, sed etiam Phaedromum. Acidalius pro *Planesium* legit: PL. Periphanes?" [1]) Goetz scripsit „exempli causa" *Plothenius* coll. Epid. 434, ubi videatur Leo. Abraham [2]) proposuit: *istum anulum*. Quod improbandum esse censeo; tantum enim abest, ut desideremus mentionem eius rei, de qua agitur, ut etiam tam saepe iam illius facta mentione (cf. vs. 629, 631, 633, 634, 635), iterum eam suo indicari nomine molestissimum videatur. Neque magis probo quod suspicatus est Leo: „PL. quid audio?" Quod languidum est. Unice verum arbitror quod excogitavit Acidalius, sed numerorum gratia addendum est vel cum Gepperto *quid?* vel cum Fleckeiseno *hem*. Fieri non potest, ut Planesium audito nomine patris se contineat; plena laetae

1) Omnes editores, recentioris quidem aetatis, praeter Leonium pro *Periplanes* substituunt *Periphanes*. Cur tandem patri Πλανησίου nomen esse non possit Περιπλάνει? An quod in Epidico et Asinaria nomen invenitur Periphanis, causa est idonea, cur etiam nostro loco illud nomen requiratur?

2) l. l. p. 219.

Digitized by Google

admirationis nomen patris repetit; quominus autem plura dicat, animi motu impeditur. Placide inde miles narrare pergit: „Is prius quam moritur mihi dedit tamquam suo, Ut aequom fuerat, filio." Ne nunc quidem Planesium prae nimia mentis perturbatione quidquam nisi „pro Iuppiter" clamare potest. Tum miles: „et isto" [1]) me heredem fecit." Nunc demum puellae eatenus animi redierunt vires, ut pauca loqui possit: „o Pietas mea, Serva me, quando ego te servavi sedulo. Frater mi, salve." Miles autem, cui nondum ita persuasum est de veritate illius rei, rogat: „qui credam ego istuc?" (*scil. me tuum fratrem esse*). Quae verba Müller [2]) non eiusdem versus esse censet cuius verba quae praecedunt. Etiam Leo primitus hic plura exstitisse existimat; annotat enim: „haec in brevius contracta esse apparet." Quod ut statuerent quid eos moverit, me quidem fallit. Nihil omnino desidero, neque contractionis ullum agnosco vestigium. De nomine patris nimirum militi non opus est interrogare: et ex Planesii exclamationibus et inde quod post narrationem ab ea frater sit vocatus, facile concludere potest etiam illius patri nomen esse Periplani.

vs. 644 sqq. Narrat Planesium, qua occasione rapta sit:

644. 645 Ea (*scil. nutrix*) me spectantem tulerat [3]) per [Dionysia.

Postquam illo ventum est, iam, ut me collocaverat,
Exoritur ventus turbo, spectacla ibi ruont,

1) Recte Leo pro *iste*.

2) l. l. p. 712.

3) Dubitanter Leo *tetulit*, fortasse recte. Confert Poen. 1067, Cist. 90.

Digitized by Google

Ego pertimesco: [tum] ibi me nescio quis arripit
Timidam atque pavidam, nec vivam nec mortuam.

Goetz obtemperavit Fleckeiseno post vs. 644/645 lacunam statuenti. Recte autem Ussing huic sententiae adversatus est: „*illo* facile ex contextu intelligitur, in spectaculorum locum," in eum locum, ubi Dionysia agebantur. Cf. Cist. 89 sq.

Vs. 648 merito Kampmann delevit vocem *tum;* additum est adverbii *ibi* explicandi causa.

Eodem versu iniuria probarunt Brix [1]) et Ussing Lambini coniecturam *abripit* pro *arripit.* Confert Brix vs. 650 *abstulerit* et vs. 695 *abripi,* quorum locorum diversa est ratio. Qui aufertur, prius arripiatur necesse est. Sic Planesium narrat quendam se arripuisse atque tum abstulisse. Vs. 695 Cappadox queritur non se arripi, sed se abripi. Abripiendi verbum ibi necessarium est, quamquam codices habent *arripi.* Ex vs. 693 („collum obstringe, abduce istum") efficiendum est lenonem prius arreptum esse, idque ita, ut collum obstringeretur, nunc abripi.

vs. 659 sqq. Personarum distributionem in actus quinti scaena secunda multa contraxisse vitia etiam ex fine scaenae apparet. Therapontigonus et Planesium inter se agnoverunt. Phaedromus sperat fore ut dei illis id bene vertant:

C. Et ego nobis omnibus.
Tu ut hodie adveniens cenam des sororiam,
Hic nuptialem cras dabit. promittimus.
Tu istanc desponde huic, miles. ego dotem dabo.

1) Neue Jahrbücher 101 p. 765.

Digitized by Google

TH. Quid dotis? C. Egone? ut semper, dum vivat, [me alat.
Verum hercle dico. TH. Me lubente feceris.
Sed leno hic debet nobis triginta minas.
PH. Quam ob rem istuc? TH. Quia ille ita repro- [misit mihi:
Si quisquam hanc liberali asseruisset manu,
Sine controversia omne argentum reddere.
Nunc eamus ad lenonem. C. Laudo. PH. Hoc prius volo,
Meam rem agere. TH. Quid id est? PH. Ut mihi [hanc despondeas.
C. Quid cessas, miles, hanc huic uxorem dare?
TH. Si haec volt. PL. Mi frater, cupio. TH. Fiat. C. [Bene facis.
PH. Spondesne, miles, mi hanc uxorem? TH. Spondeo.
C. Et ego idem una spondeo. TH. Lepide facis.
Sed eccum lenonem, incedit, thensaurum meum.

Vs. 661 sq. verba: „promittimus, tace tu" in codicibus dantur militi. Totum autem versum 661 recte Acidalius tribuit Curculioni; quod vero pro *promittimus* coniecit *promittitin?* probare nequeo. Comice dicit parasitus: „promittimus," quasi sibi aeque ac Phaedromo promittendi ius sit. Etiam fieri potest, ut parasitus, etsi vocatus non sit, verbo *promittimus*, quippe quod adhibeatur ab eo, qui vocatus ad cenam se venturum esse pollicetur, comice significet se ad cenas affuturum esse. Tum Phaedromus: „tace tu," i. e. 'noli promittere, quamdiu de nuptiis nihildum est statutum.' Verba: „tace tu" non esse Therapontigoni, cui ea assignat Leo, patet et ex iis, quae dixi, et ex responso Curculionis; qui quoniam verbis: „tu istanc desponde huic, miles" ad militem se convertit, verba

Digitized by Google

praecedentia: „non taceo, quando res vortit bene", Phaedromo dicere censendus est.

Omnino ad irritum cecidit distributio Ussingii, „promittimus" militi adiudicantis atque „tace tu" Phaedromo. Miles sororis arbitrio permittit, utrum Phaedromo nubere velit necne (vs. 673: „si haec volt"). Si igitur post verba: „hic nuptialem cras dabit" loquens fingendus esset, iam hic se id sorori permittere pronuntians esset inducendus. Hinc non abhorret quod vs. 665, licet ne nunc quidem sponsio facta sit, miles parasito contendenti se dotem daturum esse respondet: „me lubente feceris." Nam optime hoc dicere potest, etsi nihildum de nuptiis statutum est. Subaudiendum nimirum est: *si nuptiae fient.* Miles autem neque promittit se cenam daturum esse neque negat; nam verbo *promittimus* Curculio ab eo se avertit et aspicit Phaedromum, exspectans quid hic dicturus sit. Accedit quod, si *promittimus* esset militis, verba Phaedromi *tace tu*, quae Curculioni dicuntur, minus essent apta.

Vs. 664 interrogatio: „quid dotis"?, quam codices tribuunt Phaedromo, suo iure Bothe assignavit Therapontigono; nam hunc allocutus est Curculio. Libenter autem cum Ussingio propter sequens *egone?* post *quid dotis* inseruerim *tu.*

Vs. 665, cui in libris signum militis praemittitur, ita ab Ussingio correctus est, ut prior pars continuetur Curculioni, pars altera tribuatur militi, qui vs. 666 particula *sed* (sic recte Pistoris pro *et*) ad aliam rem transit.

Goetz vs. 665 totum dat Phaedromo, pro *verum* scribens *ultro.* Quod improbandum esse pro certo mihi constat. Nam particula *ultro* huc non quadrat; dicitur enim

Digitized by Google

de re plane inexpectata, quae omnino praeter opinionem evenit. Curculio autem promisit se dotem daturum esse; sequitur Phaedromum dicere non posse se ultro eam esse accepturum. Omnes locos, ubi particula *ultro* apud Plautum legitur, collegi; quibus comparatis nemo coniecturam Goetzii probabit: Amph. 587, As. 440, 526, Aul. 530, 752, Bacch. 567, 825, 1024, Cas. 86, 602, Cist. 375, 718, Ep. 155, 685, Men. 97, 359, 360, 688 sq., 843, Mil. 91, 778, 882, 1243 sq., 1337, 1403, Most. 210, 287, Pers. 327, Poen. 341, Pseud. 750, 1102, 1242, 1316, Rud. 116, 484, 607, Stich. 297, Trin. 611, Truc. 111, 851. Recte locum explicat Leo: „parasitus asseverat se eam dotem daturum, miles dicit se lubente eum daturum, i. e. victum accepturum esse". *Me lubente feceris* iocose dictum est. Dicit miles ridens: 'vehementer gaudeo te talem dotem esse daturum; facilius nunc mihi erit sorori dotem parare'.

Vs. 667 hiatus tollendi causa Fleckeisen pro *ille* legit *illic,* Goetz post *quia* inserit *enim.*

Praeter vitiosam personarum distributionem vs. 670 etiam alio laborare morbo opinor. Prior ab Ussingio sanata est verbis: „nunc eamus ad lenonem", quae in codicibus Phaedromi sunt, continuatis militi, et comprobandi formula: „laudo", quam libri dant militi, tributa Curculioni. Neque enim Phaedromus cupere potest iam nunc ad lenonem ire, quia prius suam rem agere se velle diserte pronuntiat.

Sed licet suum cuique redditum sit, sanum iam versum esse nego. Non enim fieri posse mihi videtur, ut, cum in praecedentibus de nullo alio agatur homine, nisi de ipso lenone, pergatur: „nunc eamus ad lenonem". Mo-

Digitized by Google

lestissimum mihi est illud appellativum *lenonem*, requiro vel pronomen vel, id quod magis mihi placet, ridiculam aliquam lenonis significationem: pro *lenonem* conicio *lepidum hominem*. Cf. vs. 676: „thensaurum meum", vs. 691: „delicatum", Capt. 954: „lepidum mancupium", Merc. 688: „tui viri bellissumi", 812: „tuos pater bellissimus", Mil. 364: „iste bonus servos", Pers. 791: „Dordale, homo lepidissume", Poen. 1332: „bonum virum". Omnino militem decet lenonem per risum iocumque appellare lepidum hominem, quippe qui tam fuerit benignus, ut omne argentum redditurum se esse promitteret, si quisquam virginem in libertatem vindicasset.

Vs. 675 variis modis a viris doctis tentatus est. Verum repperit Ussing qui pro librorum „unum" scribit „una" et codices praeter B (hic praemittit PH.) sequitur priorem versus partem Curculioni tribuentes, „ut parasitus, qui antea dotem promiserat, hic sponsionis auctorem se faciat". Curculio omnino familiae se adnumerat: primum dotem promittit, nunc consponsorem se facit; cf. Leo, qui recte comparat Trin. 1163.

Ceterae coniecturae neque probabilitate neque simplicitate se commendant: Acidalius: PH. Et ego huic cibum una"; Fleckeisen: „PH. Et ego a me huic victum spondeo. C. Lepide facis"; Müller [1]): „PH. Et ego huic quidem"; Goetz: „C. Et ego huic dotem una spondeo. PH. Lepide facis".

Post hunc versum lacunam statuit Fleckeisen, quod „admodum probabiliter" eum fecisse iudicat Goetz. Ego frustra quaero, quid intercidisse censendum sit.

---

1) Nachträge p. 105.

Digitized by Google

Versui 676 B praemittit personam Phaedromi, recte ceteri libri continuant versum militi.

vs. 679 sqq. Leno a trapezita, a quo argentum repetivit, revertitur ipse secum loquens de argentariorum mala fide:

Argentariis male credi qui aiunt, nugas praedicant:
Nam et bene et male credi dico; id adeo ego hodie [expertus sum.
Non male creditur qui numquam reddunt, sed pror- [sum perit.
Vel ille, decem minas dum solvit, omnis mensas [transiit.

Hos versus et Lambinus et Ussing (aliorum virorum doctorum interpretationes mihi non innotuerunt) male interpretari mihi videntur. „Hoc" ait Lambinus „significat leno: credere pecuniam argentariis non est male credere, ut nonnulli dicunt. Nam qui male credit alicui pecuniam, spem tamen habet aliquam recuperandi, nec prorsus perdit: at qui argentariis credit, prorsus perdit; ergo nugantur qui aiunt argentariis male credi". Contra Ussing: „Quod vulgo dicunt, inquit, argentariis male credi, id non recte dicitur; potius dicendum est et male et bene credi. Nam (vs. 681 *legit cum E* „nam" pro „non") male creditur ei, qui nihil reddit; hic quidem reddere noluit — hactenus igitur male credendum ei erat —, sed postremo amicorum consiliis adductus pecuniam solvit, ut etiam bene ei creditum esse dici possit".

Quid contenditur a lenone? Adversatur eorum opinioni, qui autumant argentariis male credi, quin etiam nugas illos praedicare affirmat. Quod asseverat nisus iis, quae

Digitized by Google

hodie est expertus. Illud autem quid est? Adiit trapezitam, ut decem minas, quas ille debebat, repeteret. Multo labore tandem argentum recuperavit. Num hinc colligi potest argentariis et bene et male credi? Minime, opinor. Non enim mihi persuadere possum lenonem, siqua pecunia tanto labore recuperatur, dicere posse bene creditam eam esse hanc ipsam ob causam, quod redditur. Nam hoc idem vocaret *male credere* idque ideo quia non nisi magno labore argentum recuperatum sit. Ergo *male credere* hic idem foret atque *bene credere*. Praeterea, si argumentari voluisset argentariis non solum male, sed etiam bene credi, poteratne dicere eos, qui male iis credi aiunt, nugas praedicare? Ut summum, opinor, dicere poterat eos errare, non recte contendere; nugas praedicare utique nimium est.

Ergo Lyconi bene creditum esse putare lenonem non est verisimile; sed ne male quidem; nam, quamvis non parvo labore ea res steterit, recuperavit tamen pecuniam. Patet pro *nam et bene et male* legendum esse *nec bene nec male*, quod iam coniecit Lambinus, excepto quod servavit *nam*, quod salvo metro retineri non potest. Quod Ussing hanc coniecturam nimis audacem vocat, fortasse non tam audax est, quam putat vir doctus. Fieri potuit, ut prius *nec* inferiore parte litterae *g* vocabuli *argentariis*, quod in superiore erat versu, obscuraretur ergoque librarius in errorem inductus *nam et* scriberet; cum autem semel ex priore *nec* corruptum *et* ortum esset, facile posterius *nec* sequebatur. Dicit leno: 'aio nugas esse autumare argentariis male credi; ergo forsitan censeatis me putare iis bene credi. Sed minime ita; nec bene nec male'.

Digitized by Google

Quid autem faciamus versu 681? Multa monere mihi videntur versum spurium esse. Primum, si recte disputavi de versu praecedenti, sequitur secundum lenonem *male credere* esse: ita credere, ut creditum non reddatur. Nam quod explicat Lambinus: *qui argentariis credit, prorsus perdit*, verum esse non potest; non enim leno creditum perdidit, sed recuperavit. Non igitur dici potest: „non male creditur qui numquam reddunt, sed prorsum perit". An fortasse pro *non* cum E legendum est *nam*, quod facit Ussing? At sic non recte procedit enunciatum, nisi pro *sed* legitur *quia* vel eiusmodi aliquid; nam nulla iam oppositio exstat inter duas eius partes. Deinde, si leno significaret, quid intelligeret *male credi*, exspectares etiam eum dicere, quomodo *bene credi* accipi vellet: talia fere: 'etiamsi creditum redditur, ne tum quidem dici potest bene credi; nam non parvo negotio recuperatur'. Postremo post vs. 680 statim requiro mentionem eius rei, quam leno expertus est. Vs. 681 disturbat ea, quae cohaerent. Sat, opinor, causarum, cur versum spurium esse statuamus. Emblema eiusdem generis est atque quod indicavit Leo Trin. 1130 sq.

Quod Goetz ante vs. 681 nonnulla intercidisse putat, velut haec: „Qui cunctanter reddunt illis male ego credi existumo", his insertis locus non sanatur. Nam Lyco admodum cunctanter reddidit. Ergo hinc efficiendum erat argentariis male credi, non et bene et male.

vs. 693 sqq.

PH. Collum obstringe, abduce istum in malam crucem.
TH. Quidquid est, ipse ibit potius. CA. Pro deum atque [hominum fidem,

Digitized by Google

Hocine pacto indemnatum atque intestatum me abripi?
Obsecro, Planesium, et te, Phaedrome, auxilium ut feras.
PL. Frater, obsecro te, noli hunc condemnatum perdere.

Contra codices Leo verba: „collum e. q. s." dedit Phaedromo, et „quidquid e. q. s." Therapontigono. Quod cur fecerit, me fugit. Confert quidem vs. 697, sed ego hinc efficere malim recte distribuere libros. Verum alia quoque sunt, cur codices sequendos esse arbitrer. Concinnitas enim postulare mihi videtur, ut Phaedromus et Therapontigonus in loquendo vices alternent; eandem ob causam Fleckeiseno obtempero vs. 688 verba: „atque argentum propere propera vomere" tribuenti Phaedromo. Primum dicit miles: „heus tu, leno, te volo"; tum Phaedromus: „et ego te volo"; tum miles: „sta sis ilico" [1]; tum denuo Phaedromus: „atque argentum propere propera vomere"; miles: „quia e. q. s."; Phaedromus: „delicatum e. q. s."; miles: „collum e. q. s."; Phaedromus: „quidquid est e. q. s." Etiam inde quod leno utrumque iracunde alloquitur („quid mecum est tibi? aut tibi?") efficio Phaedromum ante plura dixisse quam „et ego te volo", quod per se spectatum nihil habet, quo ira moveri possit. Postremo, si diceret P h a e d r o m u s: „collum obstringe, abduce istum in malam crucem", non intelligo cur leno se ad Phaedromum convertat, obsecrans ut

1) Non resciscere potui, cui libri haec tribuant verba; nam Goetz ea una cum sequentibus dat Phaedromo, nullam faciens mentionem librorum discrepantiae; Leo autem omnia Therapontigono, ne is quidem quicqnam annotans.

Digitized by Google

auxilium ferat (vs. 696); potius verba: „quidquid est, ipse ibit potius" apta sunt ad auxilii spem ei faciendam.

Vs. 697 *condemnatum* non posse defendi existumo, sed suo iure substituisse *indemnatum* Pium. Queritur leno (vs. 695) se i n demnatum abripi. Nonne necesse est statuamus Planesium fratrem obsecrare, ne eum i n demnatum perdat?

vs. 711 sqq. Negat leno se promisisse argentum se redditurum esse, siquis virginem liberali manu asseruisset:

CA. Nego hercle vero. quo praesente?
[quo in loco?
712 TH. Me ipso praesente et Lycone tarpezita. CA. Non
[taces?
713 TH. Non taceo. CA. Non ego te flocci facio, ne me
[territes.
714 TH. Me ipso praesente et Lycone factum est.
[PH. Satis credo tibi.

Versibus 712 et 713 B praemittit personam Curculionis, atque vs. 713 libri omittunt signum lenonis et vs. 714 Therapontigoni.

Guyetus vs. 712 sq. delevit; etiam Ribbeck[1]) in his versibus dittographiam agnovisse sibi visus est. Verum non vs. 712 sq. delet, sed vs. 714 verba: „me ipso praesente et Lycone factumst". Praeterea collato vs. 568 libenter reicit vs. 713 verba: „ne me territes", „da ja keine eigentliche Einschüchterung vorliegt". Tum. vs. 712 „me ipso praesente et Lycone tarpezita" non militem, sed Curculionem loquentem facit. Postremo verba: „satis

1) l. l. p. 98 sq.

Digitized by Google

credo tibi" adversus affinem ei videntur esse non solum ieiuna et languida, sed paene inhumana, contra aptissima, si sermo fit cum homine vano, qualis est Curculio. Ergo vir doctus sic Plautum scripsisse arbitratur:

CV. Me ipso praesente et Lycone tarpezita. CA. Non [taces?

CV. Non taceo. CA. Non ego te flocci facio. PH. Satis [credo tibi.

Nequaquam cum eo facio; nam quod sensu cassum ei videtur quod miles in sua ipsius causa testimonium dicit, respondeo: non agitur de testimonio iudiciali, nihil aliud fit quam ut miles roganti lenoni, quis in promittendo affuerit, respondeat se ipso praesente et Lycone factum esse. Facile fieri potuit, ut miles aliis mandaret lenonem ad promissum adigendum, non ipse promissum ab eo acciperet; nunc autem i p s e affuit. Atque quid illud *ipse* significaret in ore Curculionis? Neque magis mihi hic probari dittographiam Ribbeckianam statim apparebit.

Quod ad loci personarum distributionem attinet, unum Ussingium verum praebere puto, quamvis Ribbeck huius rationem „ganz verfehlt" vocet. Ussing enim vs. 712: „me ipso praesente et Lycone tarpezita, non taces?" totum dat lenoni atque militi totum vs. 713: „non taceo; non ego te flocci facio; ne me territes". Miles lenonem tacere iubet, nihil iam ex illo audire cupit; nam disputari cum eo non potest, cum omnia neget. Quod obicit Ribbeck: „ganz verfehlt ist Ussing's Vertheilung, wonach v. 712 dem Therapontigonus, v. 713 ganz dem Kuppler zugewiesen wird, als ob letztrer etwas behauptet und sich nicht einfach auf Leugnen gelegt hätte", non intelligo. An quod leno nulli alii rei studet quam negandi

Digitized by Google

arti, eamne ob causam miles eum non tacere iubere potest? „Me ipso praesente et Lycone trapezita; non taces?" idem est atque „non taces? me ipso praesente et Lycone trapezita"; cf. Pseud. 889: „Molestus ne sis, nimium [iam] tinnis; non taces"? et passim sic adhibitum *tace*. Leno impudenter respondet: „non taceo, non ego te flocci facio; ne me territes". Siquis verba: „non ego te flocci facio" cum Ribbeckio nimis insolentia putat quam quibus leno, militem alloquens, utatur („wie kann Cappadox dem miles, der ihn so zu sagen au den Gurgel hält [707], ins Gesicht sagen: *non ego te flocci facio*"), auctor ei sum ut inspiciat actus quarti scaenam quartam; intelliget lenonem militem haudquaquam metuere. Neque iam leno tamquam iugulo tenetur; nam nimirum post verba: „iam iam faciam ut iusseris" manus ab eo ablatae sunt.

Etiam verba: „ne me territes" aptissima sunt; nam illud *non taces* acerbissime iubentis est.

Therapontigonus non iam curans lenonem, quippe quo omnia negante res nihil promoveatur, convertit se ad Phaedromum asseverans: „me ipso praesente et Lycone factum est"; dittographiae igitur nullum vestigium. Tum Phaedromus: „satis credo tibi", i. e. ‘satis iam verborum factum est, non opus est quidquam addere', statimque se ad lenonem convertit, ut iudicium suum proferat.

Nugantis mihi videtur sic distribuere: „CA. Non taces? TH. Non taceo. CA. Non ego e. q. s." Non enim probari mihi potest, si leno tam aspere tacere iussisset, militem placide responsurum fuisse: „non taceo". Atque revera, si ita distribuitur, verba: „ne me territes" sensu cassa sunt.

Digitized by Google

Iam ad finem perducta est disputatio nostra. Qua satis probasse mihi videor fabulam Curculionem non a retractatore in brevius esse contractam. Nam licet non continuo commentario totam enucleaverim fabulam, nullum tamen versum, qui alicui esset dubitationi obnoxius, omisi, quin pro virili parte eum illustrarem. Cuius laboris summa huc fere redit, ut nullam exstare dittographiam statuam, tres tantum totius fabulae deleam versus (483, 485, 681), denique duobus locis (post vs. 382 et post 454) plura intercidisse contendam.

Digitized by Google

Digitized by Google

THESES.

Digitized by Google

THESES.

I.

Nomen iuvenis, qui partes agit in fabula Curculione, videtur esse non Φαίδρομος, sed Φαιδρόνους.

II.

Vocabulum q. e. *dierectus* vocabulum est nihili.

III.

Particula *itaque* apud Plautum non poni potest pro simplici *ita* vi causali.

IV.

Et apud Plautum non potest poni pro *etiam*.

V.

Plaut. Men. 872:
Eu hercle morbum acrem ac durum, di vostram fidem.
Del. *acrem ac*. Iniuria SCHOELL post *durum* lacunam statuit.

Digitized by Google

VI.

Plaut. Trin. 832:

Fidus fuisti; infidum esse iterant.

Pro *iterant* leg. *id errant.*

VII.

Liv. XXVI, 27: Eodem tempore septem tabernae, quae postea quinque, et argentariae, quae nunc Novae appellantur, arsere. Comprehensa postea privata aedificia.

Leg.: Eodem tempore septem tabernae — quae postea quinque erant — argentariae, quae nunc Novae appellantur, arsere. Comprehensa post eas privata aedificia.

VIII.

Liv. XL, 51: (M. Fulvius locavit) basilicam post argentarias Novas et forum piscatorium circumdatis tabernis.

Pro *circumdatis* leg. *circumdandum.*

IX.

Catull. 88, 7 sq.:

Nam nihil est quicquam sceleris, quo prodeat ultra,
Non si demisso se ipse voret capite.

Pro *quicquam* legendum *quisquam* et interpungendum sic:

Nam nihil est, quisquam sceleris quo prodeat ultra, e.q.s.

X.

Sententia Ferdinandi Schroederi ('Neue Jahrbücher' 1891 p. 137 sq.) censentis carminis 116 duos versus priores ab epigrammate alienos esse atque versum 3 carminis esse initium, non est probanda.

Digitized by Google

XI.

Ovid. Met. V, 546:

Ille sibi ablatus fulvis amicitur in alis.

Leg.: fulvas amicitur in alas.

XII.

Pers. V, 19 sq.:

Non equidem hoc studeo, pullatis ut mihi nugis
Pagina turgescat dare pondus idonea fumo.

Pro *pullatis* rectius deteriores codd. *bullatis*.

XIII.

Iuven. V, 105:

Vernula riparum pinguis torrente cloaca.

Pro *torrente* leg. *sordente*.

XIV.

Rutil. Lup. de fig. I, 21: Rure rediens, iudices, homo maior natu, magno calore, vix sufferens viae molestiam, tamen his verbis egomet me consolor: Fer fortiter demum laborem.

Pro *demum* expectatur vocativus nominis proprii, quo is qui loquitur ipse se appellat.

XV.

Thuc. I, 62, 4: *Καλλίας δ'αὖ ὁ τῶν Ἀθηναίων στρατηγὸς καὶ οἱ ξυνάρχοντες τοὺς μὲν Μακεδόνας ἱππέας καὶ τῶν*

Digitized by Google

ξυμμάχων ὀλίγους ἐπὶ Ὀλύνθου ἀποπέμπουσιν, ὅπως εἴργωσι τοὺς ἐκεῖθεν ἐπιβοηθεῖν.

Pro *τοὺς ἐκεῖθεν* leg. *τὸ μὴ ἐκεῖθεν.*

XVI.

Thuc. II, 40, 2: *ἔνι τε τοῖς αὐτοῖς οἰκείων ἅμα καὶ πολιτικῶν ἐπιμέλεια, καὶ ἑτέροις πρὸς ἔργα τετραμμένοις τὰ πολιτικὰ μὴ ἐνδεῶς γνῶναι.*

Pro *ἑτέροις* leg. *τοῖς ἕτερα.*

XVII.

Thuc. II, 40, 3: *διαφερόντως γὰρ δὴ καὶ τόδε ἔχομεν ὥστε τολμᾶν τε οἱ αὐτοὶ μάλιστα καὶ περὶ ὧν ἐπιχειρήσομεν ἐκλογίζεσθαι· ὃ τοῖς ἄλλοις ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δ᾽ὄκνον φέρει.*

Pro *ὃ* leg. *οὗ.*

XVIII.

Thuc. II, 41, 3: *μόνη γὰρ τῶν νῦν ἀκοῆς κρείσσων ἐς πεῖραν ἔρχεται, καὶ μόνη οὔτε τῷ πολεμίῳ ἐπελθόντι ἀγανάκτησιν ἔχει ὑφ᾽ οἵων κακοπαθεῖ, οὔτε τῷ ὑπηκόῳ κατάμεμψιν ὡς οὐχ ὑπ᾽ ἀξίων ἄρχεται.*

Pro *ἐπελθόντι* leg. *ἐς πεῖραν ἐλθόντι.*

XIX.

Thuc. II, 43, 6: *ἀλλ᾽ ἀλγεινοτέρα γὰρ ἀνδρί γε φρόνημα ἔχοντι ἡ ἐν τῷ μετὰ τοῦ μαλακισθῆναι κάκωσις ἢ ὁ μετὰ ῥώμης καὶ κοινῆς ἐλπίδος ἅμα γιγνόμενος ἀναίσθητος θάνατος.*

Post *μαλακισθῆναι* inser. *σωθῆναι.*

Digitized by Google

XX.

Lys. I, 2: *καὶ ταῦτα οὐκ ἂν εἴη μόνον παρ' ὑμῖν οὕτως ἐγνωσμένα, ἀλλ' ἐν ἁπάσῃ τῇ Ἑλλάδι.*

Pro *οὐκ ἂν εἴη* leg. *ἀεὶ ἦν οὐ.*

XXI.

Lys. 19, 4: *οἶμαι γὰρ πάντας ὑμᾶς εἰδέναι ὅτι πολλοὶ ἤδη πολλὰ καὶ δεινὰ κατηγορήσαντες παραχρῆμα ἐξηλέγχθησαν ψευδόμενοι οὕτω φανερῶς, ὥσθ' ὑπὲρ πάντων τῶν πεπραγμένων μισηθέντες ἀπελθεῖν.*

Pro *πεπραγμένων* leg. *πεπλασμένων.*

XXII.

Lys. 19, 10: *μὴ οὖν προκαταγιγνώσκετε ἀδικίαν τοῦ εἰς αὐτὸν μὲν μικρὰ δαπανῶντος, ὑμῖν δὲ πολλὰ καθ' ἕκαστον τὸν ἐνιαυτόν, ἀλλ' ὅσοι καὶ τὰ πατρῷα καὶ ἐάν τί ποθεν μὴ δῶσιν, εἰς τὰς αἰσχίστας ἡδονὰς εἰθισμένοι εἰσὶν ἀναλίσκειν.*

Lectio tradita *μὴ δῶσιν* servanda est.

XXIII.

Lys. 19, 22: *ἐπειδὴ δ' οὐχ ἱκανὰ ἦν, τοὺς φίλους ἔπειθε δεόμενος καὶ ἐγγυώμενος, καὶ τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ ὁμοπατρίου ἀποκειμένας παρ' αὐτῷ τετταράκοντα μνᾶς εἰπὼν κατεχρήσατο.*

Pro *εἰπὼν* leg. *ἀπόντος.*

XXIV.

Lys. 19, 51: *ἐνθυμεῖσθε τοίνυν οἷον ἂν ἐγένετο, εἰ Ἀθηναίων ἀπόντων ἀκηκοότων ὅτι τετταράκοντα τάλαντα ἔχοι Διότιμος, εἶτα ἔπαθέ τι πρὶν καταπλεῦσαι δεῦρο.*

Pro *ἀπόντων* leg. *ἀπόντος.*

Digitized by Google

XXV.

Ib.: *αἴτιοι οὖν εἰσι καὶ ὑμῖν πολλῶν ἤδη ψευσθῆναι καὶ ἰδίᾳ ἀδίκως τέ τινας ῥᾳδίως ἀπολέσθαι οἱ τολμῶντες ψεύδεσθαι καὶ συκοφαντεῖν ἀνθρώπους ἐπιθυμοῦντες.*

Quocunque modo haec emendantur, servandum est *ἰδίᾳ*.

XXVI.

Basilicarum origo in ipsa urbe Roma quaerenda est.

XXVII.

Quod narrat Varro L. L. V 147: „haec omnia posteaquam contracta in unum locum quae ad victum pertinebant, et aedificatus locus, appellatum macellum", spectare videtur a. 209 a. Chr. n.

XXVIII.

Quod apud nonnullos traditum est Cononem a Persis interfectum esse, id manavit ex male intellectis verbis Isocratis 4, 41, 154: *ἐπὶ θανάτῳ συλλαβεῖν.*

XXIX.

Non probanda sunt quae disputat Homolle ('Bull. Corr. Hell.' 1896 p. 502 sqq.) ad demonstrandum Nabin tyrannum Lacedaemoniorum regio fuisse genere.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

U. C. BERKELEY LIBRARIES
C045898483
YC 00745
142221
Digitized by Google

Digitized by Google